1. Vērūm hic dīcit. (Pl.) 2. Hoc erat in vōtīs. (Hor.) 3. Ad hoc. 4. Post hoc nōn est propter hoc. 5. Troia huic locō nōmen est. (Liv.) 6. Nēmō hunc amat, quī verba nuntiat mala. 7. Ego hanc amō, et haec mē amat. (Pl.) 8. Rēs sērīās omnēs extollō ex hōc diē in alium diem. (Pl.) 9. Multae sunt domūs in hāc urbe. (Cic.) 10. Sidera haec tē mēque vident.

11. Quālis homo ipse, tālis eius est orātiō. (Cic.) 12. Huic puerō, quī est eī vitā suā multō cārīor, metuit. (Liv.) 13. Apud

eum sic fuī, tamquam domī meae. 14. Memoria minuitur, nisi eam exercēmus.

15. Semper idem. 16. Amōris vulnus s̄anat idem, quī facit. 17. Idem per idem. 18. Tērra salūtārēs herbās, eadēmq̄ nocētēs / Nūtrit et ūrticāe prōxima saepe rosā est. (Ovid.) 19. Ūnum exemplum bonum idem valet atq̄e centum praecepta. 20. Duo cum faciunt idem, nōn est idem. 21. Cantilēnam eandem canis. (Ter.) 22. Hominēs inderdum nōn eadem dīcunt, quae sentiunt. 23. Nēmō nostrum idem est in senectūte, quī fuit iuvenis, nēmō est māne, quī fuit p̄ridiē; quidquid vidēs, currit cum tempore, nihil ex hīs, quae vidēmus, manet; hoc est, quod ait Hērāclītus: in idem flūmen bis nōn dēscendimus; manet idem flūminis nōmen, aqua trāsmīssa est. (Sen.)

Harjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. Nendes paikades on talved pikad. 2. See pilt (imāgō) on (versārī) mul silme ees p̄evad ja õöd. 3. Millal te seda (*neutr. acc. pl.*) taipate? 4. Vabasta mind nendest muredest! (*abl. sep.*) 5. Selles majas pole ma kunagi olnud. 6. Ma mäletan (memor sum *c. gen.*) alati teda, kes (quī) abistas mind nii suures õhus. 7. Avalda tänu temale, kes sind on kasvatanud! (ēducāre). 8. Needsamad noorukid õpivad arstiteadust. 9. Kõik räägivad neidsamu sõnu. 10. Kõik need jõed voolavad samasse merre.

Harjutus 2. Deklineerida:

hoc nōmen fallāx, ea rēs facilis, haec domus altior, idem sidus clārius, hic bōs ūtilis, eadem nūbēs celeris, idem mōns similis.

*Pronomina demonstrativa
(iste, ille, ipse, unus, sōlus,
iōtus, ullus, uter, alter,
neuter, nullus, alius).*

PĒNSUM TRĪCĒSIMUM.

Varia.

1. Nunc vērō quae tua est ista vīta?... Mūtā iam istam mentem, mihi crēde! (Cic.) 2. Haec tempora, hī mōrēs; illa tempora, illī cōsulēs. 3. Nōbilis est illa Biantis vōx: omnia mea mēcum portō. (Cic.) 4. Quāndō cōveniūnt ancīlla, Sybīlla, Camīlla, / Sērmōnēm faciūnt et ab hōc et ab hāc et ab illā.

5. Rēs ipsa testis est. (Pl.) 6. Ipse dixit. 7. Et nōmen pācis dulce, et ipsa rēs salūtāris. (Cic.) 8. Cōgnōsce tē ipsum! 9. Sē ipsum laudāre māximum vitium est. 10. Medice, cūrā tē ipsum! 11. Eō ipsō. 12. Sed tempore ipsō tamen appāret vērītās. (Phaedr.) 13. Nōn omnibus ūnum est / Quod placet: hic spinās colligit, ille rosās. (Pefron.) 14. Boni viri officium est nōn sibi sōli, sed aliis servīre. 15. In tōtā orātiōne tuā tēcum ipse pūgnābās. 16. Fuitne ullius alius hominis fortūna miserior quam Oedipodis? Certē nullus alius. 17. Utrius hic liber est, tuus an eius? Neutrius. 18. Ex vitiō alterius sapiēns emendat suum. 19. Quī fodit foveam alteri, incidet in eam. 20. Utrumque vitium est — et omnibus crēdere et nulli. (Sen.) 21. Alius aliud agit. 22. Alius aliā rē fūtilior est. 23. Aliud aliōs decet. 24. Alii sēmentem faciunt, alii metent.

Harjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. Siin on kaks raamatut. Võtke, kumb meeldib! 2. Nood (tolleaegsed) inimesed. Need (nüüdsed) luuletajad. 3. Alati kiidad sa iseennast. 4. Ma ise nägin seda kohta. 5. Niisiis sa olid tol õöl laagris. 6. Ühegi teise tunnistaja kõne polnud parem. 7. Kummagi sõna silbid pole pikad. 8. See sõna on kesksõost (*gen.*). 9. Halb inimene ei usalda kedagi (nullus). 10. Ühed teevad üht, teised teist.

Harjutus 2. Deklineerida:

iste mōs, ille testis sōlus, ea tōta nox, genus neutrum, ulla rēs fēlicior, nullus magistrātus, illud iter, ego ipse, nōs ipsi.

*Pronomina relativa,
interrogativa, indefinita.*

PĒNSUM TRĪCĒSIMUM PRĪMUM.

Varia.

1. Quī scribit, bis legit. 2. Ipse sibi nocet, aliūm quī laedere quaerit. 3. Bis vincit is, quī sē ipsum vincit. 4. Spēs sōla hominem in rēbus adversis sēdat, spēs est omnibus hominibus commūnis, eam enim illi habent, quī nihil aliud habent. 5. Condiō, sine quā nōn. 6. Quis custōdiet ipsōs custōdēs? 7. Quid novī? 8. Cuius generis? 9. Cui Iliadem et Odysseam

dēbēmus? 10. Nēscio quā nātāle solūm dulcēdine cūctōs / Dūcit et immemorēs nōn sinit ēsse suī. (Ovid.) 11. Quae nōn sunt, simulō; quae sunt, ea dissimulantur.

12. Simul aliquid audierō, scrībam ad tē. (Cic.) 13. Cum spē, sī nōn optimā, at aliquā tamen vivimus. (Cic.) 14. Nē quid nimis! (Ter.) 15. Nōlīte quidquam facere contrā lēgēs! 16. Inīquum est quemquam ex veste aestimāre. 17. Suō quamquam rem nōmine appellābimus. 18. Suae quisque fortūnae faber est. (Sall.) 19. Sua cuique sunt vitia. 20. Trahit sua quemque voluptās. (Verg.) 21. Fallit quemque caecus amor suī. 22. Est quaedam flere voluptās. (Ovid.) 23. Cuivis dolōri remedium est patientia 24. Hostis est, quisquis mihi nōn mōnstrat hostem. (Sen.) 25. Quidquid discis, tibi discis. 26. Cuiusvis hominis est errāre; nullius nisi insipientis in errore perseverāre. (Cic.) 27. Quaelibet vulpēs caudam suam laudat.

Harjutus 1. Tōlkida ladina keelde:

1. Mitte see pole tubli, kes ise kiidab ennast, väid see, keda kiidavad parimad inimesed. 2. Mitte kõik, mis hiilgab (nitēre), pole kuld. 3. Mis (*neutr. pl.*) kahjustab, õpetab. 4. Igal asjal on oma aeg. 5. Keegi ei armasta neid, keda ta kardab. 6. Rikas on (see), kes on tark. 7. Kes on kaugel silmist (ex), on kaugel südamest. 8. Mida otsid, mu poeg? 9. Ükski pahe pole ilma mingi (aliquid) hüveta (bonum).

Harjutus 2. Deklineerida:

quod carmen dulce, quae spēs, quī homo fēlix, quīdam custōs, quaelibet condiciō commūnis, quīvis error, aliquī hostis, quod genus, solum nātāle, quaeque lēx.

Numeralia cardinalia.

PĒNSUM TRĪCĒSIMUM SECUNDUM.

Varia.

1. Ūnus prō multis. 2. Etiam capillus ūnus habet umbram suam. 3. Nōnnūllae bēstiae vitam ūnius diēi habent. 4. Duābus sellis sedēre. 5. Ambōbus mihi cārrior est oculīs. 6. Trēs faciunt collēgium. 7. Bellum Pūnicum tertium fuit trium ferē annōrum.

8. Quis m̄ane quattuor, meridiē duōs, vespere trēs pedēs habet?
 9. Rōma ad Tiberim in septem collibus condita est. 10. Novem Mūsās, deās artium et litterārum, colēbant Graeci et Rōmāni.
 11. Quot sunt octō et decem? Duodēviginti. 12. Caesar tribus et viginti plāgis cōfossus est. (Suet.) 13. In portū erat classis undēquadrāgintā (XXXIX) nāvium longārum. 14. Condita est Carthāgō septuāgintā duōbus (LXXII) annis ante quam Rōma.
 15. Centum (C) annī saeculum faciunt. 16. In tōtō corpore hūmānō numerantur ossa ducenta sexāgintā (CCLX). 17. Quadringentis (CD) ferē annis post rēgēs expulsiōs Ti. Gracchus fortunam pauperum in melius mutāre temptāvit. 18. Annus est spatium trecentōrum sexāgintā quinque (CCCLXV) aut sex diērum.
 19. Diēs XXIV hōrās habet. 20. Sescenta talenta — sescentae cūrae. 21. Cōscientia — mille testēs. 22. In Thermopylis trecenti Spartiātae et sex milia aliōrum Graecōrum cum Persis pūgnāverunt.

Harjutus 1. Tōlkida ladina keelde:

1. Üks paljudest. 2. Inimesel on (habēre) üks pea, kaks silma, kaks kõrva, üks suu. 3. Ära võitle kahega! 4. Kevad, suvi, sügis (autumnus) ja talv on neli aastaega. 5. Inimesel on ühel käel (in *c. abl.*) viis sõrme, kahel käel kümme. 6. Laagris oli tuhat jalaväelast (pedes, peditis, m.) ja kakssada ratsanikku. 7. Konsul tuli tuhande sõduriga. 8. Vaenlane tuli kolme tuhande sõduriga. 9. Selles lahingus sai haavata (vulnerāre, *pass.*) 1654 sõdurit. 10. Aastas on 12 kuud. 11. Selles linnas on 3869 maja.

Harjutus 2. Kirjutada sõnadega:

1119, 2229, 3338, 4452, 5563, 6674, 7785, 8896, 9999, 5931

*Numeralia ordinalia,
 distributiva.
 Rooma kalender.*

PĒNSUM TRĪCĒSIMUM TERTIUM.

Dē diēbus et mēnsibus.

Hōra est vicēsima quārta pars diēi. Alii mēnsēs habent tricēnōs diēs, alii tricēnōs singulōs; mēnsis autem Februārius duodētrigintā aut undētrigintā diēs continet. Nōmina mēnsium

Rōmānae sunt orīginis. Antīquissimīs autem temporibus apud Rōmānōs annus fuit decem mēnsium. Primō mēnsī nōmen fuit Mārtius, quīntō Quīntilis, sextō Sextilis, septimō September, octāvō Octōber, nōnō November, decimō December. Numa, alter rēx, numerum mēnsium duōbus auxit. Postea Rōmānī Quīntilem mēnsem Iūlium, Sextilem Augustum nōmināverunt. Iūliō nōmen est ā Iūliō Caesare, Augustō — ab Augustō imperātore. Primō mēnsis diēi nōmen fuit Kalendae, quīntō Nōnae, tertiō decimō Idūs; mēnsibus autem Mārtiō, Maiō, Iūliō, Octōbrī septimō diēi nōmen fuit Nōnae, Idūs quīntō decimō.

Varia.

1. Rōma condita est annō septingentēsīmō quīnquāgēsīmō tertiō (DCCLIII). 2. Bellum Pūnicum secundum ab annō ducentēsīmō duodēvicēsīmō ūsque ad annum ducentēsimum primum fuit. 3. Annō centēsīmō quadrāgēsīmō sextō Carthāgō ā Scipiōne dēlēta est. 4. Caesar Idibus Mārtiis annō quadrāgēsīmō quārtō interfectus est, quia rēgnī cupidus fuerat. 5. Prīma Cicerōnis orātiō in Catillnam habita est in senātū a. d. VI Id. Nov. annō LXIII. 6. Catilīna prid. Kal. Ian. Lepidō et Tullō cōsulibus stetit in comitiō cum tēlo.

7. Ut Rōmae cōsulēs, sic Carthāgine quotannis binī rēgēs creābantur. (Nep.) 8. Omnibus avibus bināe ālae sunt. 9. Ter terna sunt novem, quater quaterna sēdecim. 10. Quot sunt bis bina?

Harjutus 2. Kirjutada antud järgarvud sõnadega:

1. Esimene võrdsete seas. 2. Tuhandik osa. 3. Aastal 480 juhtis Kserkses, pärslaste kuningas, hiiglasuured väed Aasiast Euroopasse. 4. Vaenlaste juht tapeti 15. okt. aastal 237. 5. See kõne peeti 4. apr. aastal 49. 6. Markus pühitseb oma sünnipäeva 14. jaan., Tullia 12. dets. ja Lüüdia 2. jaan. 7. Võta arstimit kolm või (vel) neli korda päevas (per c. acc.), üks kord või kaks korda öösel (per c. acc.).

Harjutus 2. Kirjutada antud järgarvud sõnadega:

1911., 1812., 713., 614., 515., 416., 317., 218., 119., 61., 72., 53., 84., 45., 99., 37., 26., 98.

PĒNSUM TRĪCĒSIMUM QUĀRTUM.

Dē Spartānis.

Lycūrgus rem pūblicam Spartānam praeclāre īnstituit. Secundum lēgēs eius puerī, adulescentēs, iuvenēs corpora strēnuē exercēbant. Liberī discēbant parentēs et senēs honōrāre, lēgibus semper pārēre, modestē, sed liberē respondēre. Ii, qui imperiō nōn pāruerant, sevērē pūniēbantur. Mōs erat Spartānis breviter respondēre, fortiter pūgnāre, patienter et cōstanter labōrēs tolerāre, honestē vīvere.

Varia.

1. Mox nox. 2. Honestē vīvere est fēliciter vīvere. 3. Aurea sunt vērē nunc saecula. (Ovid.) 4. Rōmāni in theātrō clāmābant: Pulchrē, bene, rēctē! 5. Leviter saucius. (Cic.) 6. Fortiter in rē, suāviter in modō. 7. Vāde fortiter, vāde fēliciter! 8. Valetūdinem tuam cūrā diligenter. (Cic.) 9. Turpe est rem bene coeptam male finire. 10. Dē mortuīs nihil nisi bene. 11. Omnia sunt subitō mūtāta. 12. Nihil semper flōret. 13. Quod hodiē nōn est, crās erit. (Petron.) 14. Pulchrē monēs, sed. sērō. 15. Nēmō perpetuō in voluptātibus vīxit. 16. Tālēs avēs hūc rārō dēvolant. 17. Hinc quō nunc iter est tibi? (Hor.) 18. Bis dat, qui citō dat. 19. Quid ille dux Leōnidās dicit? Prandēte, Lacedaemonii: hodiē apud inferōs fortassē cēnābimus. (Cic.)

20. Facilius est dīcere quam agere. 21. Canis timidus vehementius latrat quam mordet. 22. Potius sērō quam nunquam. (Liv.) 23. Nōn plūs ultrā!

24. Rēctissimē iūdicās. (Cic.) 25. Ācerrimē pūgnātum est. 26. Vērae amīcitiāe difficillimē reperiuntur. (Cic.)

Harjutus 1. Tōlkida lađina keelde:

1. Keegi meist pole hommikul seesama, kes ta oli eelmisel päeval. 2. Poisid on terved ja õpivad usinasti. 3. Rumalasti teete, kui te jonnakalt kindlaks jääte (persevērāre) (oma) eksimuse juurde. 4. Kui selgesti (quam apertē) ja lihtsalt jutustab Caesar! 5. Õnnetuses ületage ohud vapralt! 6. Kes vapralt võitleb, (seda) ei voideta kergesti. 7. Kes palju teab, (see) vastab sageli. 8. Hoolas

mees töötab lakkamatult. 9. Pärslased võitlesid vapralt, kreeklased vapramalt, roomlased ülivapralt. 10. Siiski toimis (tegi) meie sõber kõige paremini. 11. Toimi alati õiglaselt ja ausalt. 12. Kirjuta paremini! 13. Räägi lühidalt (lühemalt)!

Harjutus 2. Järgmistest adjektiividest tuletada adverbid ja anda võrdlusastmed:

iustus, piger, bonus, altus, dulcis, asper, malus, doctus, sapiens, miser, stultus, egregius, fortis, rectus, simplex, celer, facilis.

Praesens coniunctivi (esse; ī konj. act., pass.). Coniunctivus hortativus, potentialis, dubitativus, concessivus; ut finale.

PENSUM TRĪCĒSIMUM QUĪNTUM.

Varia.

1. Sit venia verbō! (Plin.) 2. Vīta aliōrum sit nōbīs magistra! 3. Sed procul ā nōbīs hic sit timor! (Tib.) 4. Nē quis sit iūdex in suā causā! 5. Sīmus cautī! Nē sit sēcūrus, quī nōn est tūtus ab hoste! 7. Prōsit! 8. Sīnt Maecēnātēs, nōn déerunt, Fláccē, Marōnēs! (Mart.)

9. Narrēs. 10. Nēmō dubitet. 11. Vocem medicum an nōn? 12. Prō patriā quis bonus dubitet mortem oppetere? (Cic.) 13. Dum spīrāmus, spērēmus! 14. Probitās ab omnibus hominibus semper māgnī aestimētur! 15. Amīcus nē dēspēret! 16. Difficilia superēmus, impossibilia nē optēmus! 17. Nē vītēmus bonōrum amīcōrum cōnsilia! 18. Nē perturbēris in rēbus adversīs!

19. Dō, ut dēs. 20. Multī aliōs laudant, ut ipsī ab iīs laudentur. 21. Spēctātūm veniūnt, veniūnt, spectēntur ut ipsae. (Ovid.) 22. Multa genera avium, ut frīgora vītent, ē nostrīs regiōnibus in calidiōrēs regiōnēs autumnō āvolant. 23. Attentī este, iuvenēs, ut ā senibus lauđēmini!

Harjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. Onnetuses ärgu (nad) kaotagu lootust, õnnēs ärgu olgu ülbed (superbus)! 2. Olgem tagasihoidlikud! 3. Aidakem sõpra! 4. Rutakem kooli! 5. Peskem sageli käsi! 6. Austagem vanemaid ja rauku! 7. Vältigem vigu! 8. Talugu ta kannatlikult raskusi! 9. Opin, et olla haritud. 10. Aitan sind, et sa mind aitaksid.

Harjutus 2. Konjugeerida (*praes. coni. act., pass.*)

aestimāre, vitāre, dubitāre, dare, narrāre, temptāre, spectāre, labōrāre, fēstināre, adiuvāre, lavāre, honōrāre, tolerāre.

*Praesens coniunctivi activi, passivi
(II, III, IV konj.).
Coniunctivus potentialis, dubitativus,
hortativus, concessivus, optativus,
imperativus; ut finale.*

PENSUM TRICĒSIMUM SEXTUM.

Varia.

1. Crēdās. 2. Cūr nōn gaudeam? 3. Quid ego tē invitem?
4. Habeat sibi! 5. Qui beneficium dedit, taceat, narret, qui accēpit! (Sen.) 6. Gaudeāmus igitur, / Iuvenēs dum sumus! / Post iūcundam iuventūtem, / Post molestam senectūtem / Nōs habēbit humus. 7. Aliī sibi divitiās habeant, nōs virtūtem!
8. Valeant civēs meī, sint beātī! 9. Dictis facta respondeant!
10. Quidquid agīs, prūdēter agās et respice finem! 11. Saepe stilum vertās! (Hor.) 12. Ignōscās aliis multa, nihil tibi. 13. Vivat nostra civitās, vivat, crēscat, flōreat! 14. Sed quid faciāmus? Victī, oppressī, captī plānē sumus. (Cic.) 15. Quid faciant paucī contrā tot milia fortēs? (Ovid.) 16. Cēdant arma togae. (Cic.) 17. Audiātur et altera pars! 18. Ad senectūtem utinam perveniātis! 19. Cum dignitāte potius cadāmus quam cum ignōminiā serviāmus!
20. Nōbīs oculī sunt, ut videāmus, aurēs, ut audiāmus. 21. Edimus, ut vivāmus, nōn vivimus, ut edāmus. 22. Lēgēs brevēs esse dēbent, quō facilius ab imperitīs teneantur. 23. Sīt tibi terra levīs mollīque tegāris harēnā! (Mart.)

Harjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. Rääkigem alati tõtt! 2. Valvakem hoolsasti iseendid!
3. Lugegem hästi ja kirjutagem õigesti! 4. Harjutage igapäev mälu! (*pass.*) 5. Ärgu rääkigu, kui ta peab vaikima! 6. Sa muidugi (quidem) usuksid ja andestaksid talle! 7. Isa (vahest küll) seda ei usuks. 8. Kuid kuidas me (quōmodo) asja ajaksime (rem gerere)? 9. Oh kui keegi mind ei näeks! 10. Meil on üks suu, aga kaks kõrva, et rohkem kuuleksime ja vähem räägiksime.

Harjutus 2. Konjugeerida:

(*praes. coni. act., pass.*): respondēre; vincere, accipere, respicere; servīre, custōdīre

b) (kõigis läbivõetud ajavormides): vertere, pervenīre.

*Imperfectum coniunctivi activi, passivi.
Coniunctivus dubitativus, optativus:
ut, ne obiectivum.*

PĒNSUM TRĪCĒSIMUM SEPTIMUM.

Varia.

1. Utinam tam sapiēns essēs quam es fēlix! 2. Ego nōn gaudērem? 3. Quid facerem? 4. Utrum dīcerem an tacērem? 5. Cuius auxiliū implōrārem?

6. Magistrātūs postulānt, ut omnēs civēs lēgibus rei pūblicae pāreant. 7. Omnēs civēs optant, ut pāx sit. 8. Medicum ōrāvīmus, ut vulnus amīcī nostrī sānāret. 9. Obsecrō tē, nē quid gravius in mē statuās. 10. Amor patriae monet nōs, nē privātō commodō plūs quam commūnī ūtilitātī serviāmus. 11. Paupertās impulit audāx, ut versūs facerem. (Hor.) 12. Cūrā (dā operam), ut valeās! 13. Labōrā multum, sed cūrā, ut semper virēs reficiantur! 14. Cavē, ut credās adūlātōribus! 15. Nē bis aut saepius idem dīcāmus, caveāmus! 16. Hostēs timent, nē dux militēs ex castris ēdūcat. 17. Nōn metuō, nē mē spēs fallat. 18. Timor Rōmae grandis fuit, nē iterum Gallī Rōmam venīrent. 19. Hannībal Carthāginem, patriam suam, metū, nē Rōmānis trāderētur, reliquit. 20. O puer, ut sis vitālis, metuō. (Hor.)

21. Rōmānī ab arātrō abdūxērunt Cincinnātum illum, ut dictātor esset.

Harjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. Oh, kui ma kõike teaksin! 2. Tulin, et sind aidata. 3. Kserkses juhtis suured sõjaväed Aasiast Euroopasse, et vallutada Kreekamaa. 4. Rõhutud rahvad sõdisid, et olla vabad. 5. Vanemad nõuavad, et sa end parandaksid (corrīgere). 6. Palun sind, et sa mind (maha) ei jätaks. 7. Manitsen, et ei õeldaks kõike kõigile. 8. Hoolitse, et sa alati arukalt ja õigesti talitaksid. 9. Vanemad nägid vaeva, et oleksime viisakad. 10. Opetajad soovisid, et loeksime häid raamatuid ja karastaksime (exercēre) jõudu. 11. Kardan, et tulen hilja.

Harjutus 2. Konjugeerida (*praes., imperf. coni. act., pass.*)

sānāre, postulāre, adiuvāre, oppūgnārē; monēre, cavēre; trādere, relinquere, metuere; respicere, reficere; scire, custōdīre, servīre.

PĒNSUM DUODĒQUADRĀGĒSIMUM.

Varia.

1. Nēminem rīseris! 2. Quod dubitās, nē fēceris! 3. Malum nē aliēnum fēceris tuum gaudium! 4. Nē fūgeritis nēve timueritis! 5. Nē ūnā sagittā duōs leporēs petieris! 6. In omnī quaestiōne prōpositum sit nōbīs bonum pūblicum!

7. Quod agās, scire cupiō. (Cic.) 8. Nescīs, quam doleam. (Ter.) 9. Nōn intellegunt hominēs, quam māgnū vectīgal sit parsimōnia. (Cic.) 10. Accidit interdum, ut prae gaudiō, ubi sīmus, nesciāmus.

11. Scīsne, in quibus fuerim gaudiīs. (Ter.) 12. Quaeris, quōmodo tē sānāverim. (Sen.) 13. Ubi proximā, ubi superiōre nocte fueris, quōs convocāveris, quis nostrum ignōrat? 14. Quīntus fuit mēcum diēs complūrēs, et incredībile est, quam mē in omnī genere dēlectāverit. (Cic.) 15. Memorat, legiōnēs hostium ut fugāverit. (Pl.) 16. Testis officium est dīcere, quae sciat aut audīverit. 17. Nescīsne, quō annō pūgna Marathōnia fuerit? 18. Mōrēs populī Rōmānī quantum mūtāverint, vel hic diēs argūmentō erit. (Liv.) 19. Difficile dictū est, quot bella Rōmānī cum aliīs gentibus gesserint. 20. Nescīs, quantīs in malīs versātus sim, miser? (Ter.)

21. Ōtium reficit vīrēs.

Harjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. Ārge kōhelge! 2. Ārge tehke ūlekohut! 3. Ārge kaotage lootust! 4. Ārge lugege halbu raamatuid! 5. Āra karda tōöd! 6. Āra jāta sōpra maha ohus! 7. Āra joo külma (gelidus) vett! 8. Āra kiida iseennast! 9. Ārge uskuge libitsejaid! 10. Āra sule kōrvu tōele!

11. Ma kūsīn, mīda sa kirjutad (kirjutasid). 12. Ūtle, miks te vaikisite! 13. Me ei tea, kus me oleme. 14. Kas tead, kelle poeg oli Makedoonia Aleksander? 15. Minu isa kūsib, kus ma olin eile. 16. Mōelge, kui suures õnnetuses te siis olite. 17. Kas sa tead, mis aasta| hävitasid roomlased Kartaago?

Harjutus 2. Konjugeerida (*praes., imperf., perf. coni. act., pass.*):

dubitāre, crēdere, claudere, quaerere, tacēre, pūnīre, capere.

PĒNSUM UNDEQUADRĀGĒSIMUM.

Varia.

1. Utinam illum diem videam, cum tibi grātiās agam! 2. Utinam haec vĕra essent! 3. Utinam ālās habĕrem! 4. Nihil scripsissĕs potius! 5. Utinam tibi fidem nĕ habuissĕm! 6. Ego instābam, ūt mihi respondĕret, quis esset, ubi esset, unde esset. (Cic.) 7. Pŷthagorās interrogātus, quid esset amīcus, respondit: Alter ego. 8. Stratonīcus citharista, quī in scholā suā habĕbat novem statuās Musārum, Apollinis ūnam, discipulōs duōs, interrogātus, quot habĕret discipulōs: Cum deīs, inquit, duodecim. 9. Catō, quid quōquō diē audīvisset, ēgisset, commemorābat vesperī.

10. Thalēs, cum ex eō quaererĕtur, quid māximē commūne esset hominibus: Spēs, inquit, hanc enim illī habent, quī aliud nihil habent. 11. Cum Xerxis cōpiae terrestres Thermopylīs appropinquārent, Leōnidās monuit militēs, ut patriae glōriam memoriā tenĕrent. 12. Leōnidās, rĕx Lacedaemoniōrum, cum Xerxēs scripsisset: Mitte arma! respondit: Veni et capē! 13. Cum Philippus, rĕx Macedoniae, Graecōs ad Chaerōnĕam vīcisset et ad Isthmum appropinquāret, Corinthī in māgnō timōre erant. Aliī arma parābant, aliī fossās fodiēbant, aliī alia faciēbant. Diōgenēs, philosophus clārissimus, ut aliquid faceret, dōlium, in quō habitābat, volvĕbat. Tum ūnus ex amīcis: Cūr, inquit, hoc facis? — At Diōgenēs: Idem, inquit, quod omnēs faciunt. Vōs omnēs nihil ūtile facitis. 14. Diōgenēs, cum in oppidum Myndum vĕnisset, māgnās portās et parvum oppidum spectābat. Tum: Claudite portās, inquit, nĕ urbs excēdat!

Harjutus 1. Tōlkida ladina keelde:

1. Kui me sõprus ometi kasvaks! 2. Oh, kui kõik rahvad rahu nõuaksid! 3. Kui ometi inimesed ülekohtu ei teeks! (*Coni. imperf.*) 4. Oh, kui ma haige ei oleks! 5. Oh, kui ma isa sõnu oleksin uskunud! 6. Ma küsisin, mida sa (parajasti) kirjutad. 7. Teekäijalt küsiti, kus ta eelviimasel ööl oli olnud. 8. Me ei teadnud, kus me olime. 9. Kui konsul Cicero 8. novembril kõnet pidas, tuli ka Catilina senatisse. 10. Kui Scipio oli Aafrikasse tul-

nud, hävitas ta varsti (brevi) Kartaago. 11. Kui Caesar helveets-
lased oli võitnud, palusid (nad) rahu. 12. Kui Trooja kreeklaste
poolt oli hävitatud, põgenesid paljud võidetud kodumaalt.

Harjutus. 2. Konjugeerida kõigis konjunktiivis ajavormides:
spectāre; respondēre; vincere; fodere; sentīre.

Konditsionaallauseid

PĒNSUM QUADRĀGĒSIMUM.

Varia.

1. Pōma, sī mātūra sunť, ex arboribus dēcidunt. 2. Sī quid in
tē peccāvī, ignōsce! 3. Sī tē rogāverō aliquid, nōnne respondēbis?
4. Sī quis sibi plūs appetet, violābit iūs societātis hūmānae. 5. Sī
fēceris id, quod ostendis, māgnam habēbō grātiam; sī nōn fēceris,
ignōscam. (Cic.) 6. Chilon, cum aliquandō inter patrem et filium
iūdex esset, filiō: Sī mala, inquit, causa tua erit, damnāberis; sī
bona, nōn minus damnāberis, quod patrem accūsāvistī.

7. Sī hoc crēdās, errēs. 8. Sī pluat (pluerit), terra madeat (ma-
duerit). 9. Quid? Sī ūna tabula sit, duo naufragī eīque sapien-
tēs, sibine uterque rapiat, an alter cēdat alterī? (Cic.)

10. Cum Alexander Dāreī condiciōnēs repudiāvisset, Parmeniō:
Ego, inquit, sī Alexander essem, pācis condiciōnēs acciperem. Cui
ille: Ego quoque acciperem, sī Parmeniō essem. 11. Solōn, cum
aliquandō inter convīvium silēret, ā Periandrō interrogātus est, cūr
sōlus tacēret. Tacēsne, inquit, quod verba tibi dēsunt, an stultitiam
tuam silentiō occultāre studēs? Tum Solōn: Sī stultus essem, num
tacērem? 12. Sī tacuissēs, philosophus mānsissēs. 13. Héctora
quīs nōssēt, sī fēlix Trōia fufisset? (Ovid.)

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Kui sa tervitad, (siis) tervitatakse sind vastu (anda *cas. indef., cas. pot., cas. irr.*) 2. Kui otsid tõde, (siis) leiad. 3. Meid naerdakse, kui oleme laisad: laiskus on pahe (vitium). 4. Teie arvamus (sententia) muutub, kui te kõik kuulete (tulevikus). 5. Kui sa muutsid arvamuse, miks sa vaikid? 6. Ma tuleksin sinu juurde, kui ma poleks haige. 7. Ma oleksin sinu juurde tulnud, kui sa oleksid mulle kirjutanud. 8. Rauk ütles: kui ma oleksin nooruk, (siis) ei võitleks keegi minust vapramalt.

PĒNSUM QUADRĀGĒSIMUM PRĪMUM.

Varia.

1. Nīl admīrārī. (Hor.) 2. Nōnne Cicerōnis ēloquentiam admīrāris? 3. Eī vōce māgnā grātulābantur. (Sall.) 4. Imitēmur exempla bonōrum et sapientium virōrum! 5. Audācter calumniāre, semper aliquid haeret! 6. Fatēre, sī quid nōn rēctē fēcisti! 7. Vērum fatēminī! 8. Vir bonus peccāta libenter cōnfītēbitur. 9. Quod sentimus, loquāmur, quod loquimur, sentiāmus; concordet sermō cum vitā! 10. Videō meliōra probōque; dēteriōra sequor. (Ovid.) 11. Lābimur in vitium et facile ad peiōra movēmur. 11. Nātūram sī sequēmur ducem, nunquam aberrābimus. 13. Glōria virtūtem tamquam umbra sequitur. 14. Duōs quī sequitur leporēs, neutrum capiet. 15. Concordiā parvae rēs crēscunt, discordiā mākimae dilābantur. (Sall.) 16. Dum prīmī flōret tibi temporis aetās, ūtere! (Tib.) 17. Pārturiūnt montēs, nascētur rīdiculūs mūs. (Hor.) 18. Dulce et decōrum est prō patriā morī. (Hor.) 19. Melius est cavēre semper quam patī semel. 20. Nōn prōgredi est regredi. 21. Critō, amicus Sōcratis: Sequere mē, inquit, et ex custōdiā ēgredere! 22. Suō quisque metū pericula mētitur. 23. Hominēs virtūte mētīmur, nōn fortunā. 24. Optimī amīcī erunt, quī gaudia et dolōrēs cum amīcis partientur. 25. Scīs et pateris. (Ter.)

Harjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. Me imetleme muistsete kreeklaste tarkust ja kunste. 2. Poisid käivad sageli isa jälgedes (sequi). 3. Tunnista julgesti üles (oma) eksimused! 4. Kuula palju, räägi vähe! 5. Häbiväärt on üht rääkida, teist mõelda. 6. Keegi ei sünni targana. 7. Kasuta sagedamini kõrvu kui keelt! 8. Sammu aga eđasi! 9. Me peame meesilasi jäljendama. 10. Kasuta aega (aegu)!

Harjutus 2. Konjugeerida läbivõetud ajavormides:
prōgredi, ūti, mētiri, grātulārī.

*Participia. Coniugatio periphrastica
activi.*

PĒNSUM QUADRĀGĒSIMUM SECUNDUM.

Varia.

1. Sōcratēs saepe rīdēns vērum dicēbat. 2. Aliud stāns, aliud sedēns loquitur. 3. Omne malum nascēns facile opprimitur. (Cic.) 4. Incīdis in Scyllām, cupiēns vitāre Charýbdin. 5. Diōgenēs ali-

quandō accēnsam lūcernam manū tenēns in forō ambulābat, cum merīdiēs esset. Ā cīvibus interrogātus, cūr lūcernam accendisset: Hominem, inquit, quaerō. 6. Mōrēs dicentis persuādent, nōn ōrātiō. 7. Vae tibi rīdentī, quia mōx post gāudia flēbis! 8. Errantī viam mōnstrā! 9. Nōn cuilibet pulsantī patet iānuā. 10. Leōnidās militī nuntiantī: Hostēs nōbīs propinquī sunt. — Et nōs, inquit, hostibus propinquī sumus. 11. Nihil agentī diēs longus est. 12. Aman-tēs āmentēs. 13. Sērō venientibus ossa. 14. Lēgātis Samiōrum longā ōrātiōne auxilium ōrantibus Spartānī respondērunt: Prīma oblītī sumus, postrēma nōn intelleximus, quia prīma nōn meminerāmus.

15. Vōx audīta latet, littera scrīpta manet. 16. Āgis, Lacedaemoniōrum rēx, interrogātus, quot habēret militēs, Quot sufficiunt, inquit, ut hostēs fugentur. 17. Bis repetita placent.

18. Gladiātōrēs, cum in arēnam dēscenderent, imperātōrem ita salūtābant: Avē, Caesar imperātor, moritūri tē salūtant! (Suet.)

19. Cicero fugitūrus erat ex Italiā, cum militēs ab Antoniō missi eum oppressērunt et interfēcērunt. 20. Iniūriam quī factūrus est, iam facit. (Sen.) 21. Ego māximō imbrī Capuam vēnī prīdiē Nōnās, ut eram iussus; illī autem adhūc, id est Nōnīs, nōndum vēnerant, sed erant ventūrī. (Cic.) 22. Veniēbātis in Āfricam. Quaerō: Quid factūrī fuistis? (Cic.) 23. Omnia, quae ventūra sunt, in incertō iacent: prōtinus vīve! (Sen.)

Harjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. Kevad avab (aperire) laevatajatele mered. 2. Hūudja hāäl. 3. Ametnik on kõnelev seadus. 4. Võitlevad sõdurid ei märganud haavu. 5. Tuul on voolav õhk. 6. Ma kavatsen tõtt rääkida. 7. Olen valmis alati kodumaad kaitsma. 8. Ma ei mõtle kunagi ülekohtu teha. 9. Ma ei kavatsenud kunagi iseennast kiita. 10. Tahame alati võidelda rahu eest.

Harjutus 2. Moodustada kõik partitsiibid ja anda neist täpsed tõlked:

a) interrogāre, respondēre, ridēre, accendere, quaerere, intelligere, dicere, accipere, pūnīre, sentire.

b) grātulārī, ūti, prōgredi, metiri, sequi, pati, loquī.

PĒNSUM QUADRĀGĒSIMUM TERTIUM.

Varia.

1. Cornibus taurī, dentibus aprī sē dēfendunt. 2. Oculis vidēmus, auribus audīmus. 3. Autumnō multae avēs in aliās terrās migrant. 4. Bellō Pūnicō secundō Rōmānī saepe victī sunt. 5. Victī hostēs irā ardēbant. 6. Hominēs gaudent secundis rēbus et dolent adversis. 7. Māximā fidē amīcitiām colāmus! 8. Graecī ad Marathōnem summā fortitūdine pūgnāvērunt.

9. Helvētiī Rhōdanum nāvibus iūctis ratibusque complūribus factis traiciēbant. 10. Cŷrus bellum clam parābat Lacedaemoniīs adiuvantibus. 11. Tarquiniō Superbō rēgnante Pŷthagorās, clārissimus Graeciae philosophus, in Italiam vēnit. 12. Graecī advenientibus Persis Thermopylās occupāvērunt. 13. Sōle oriente domō profecti sumus. 14. Trōiā dēlētā Graecī discessērunt. 15. Latrante ūnō latrat statim et alter canis. 16. Populus auditīs in theatrō Vergiliī versibus surrexit ūniversus et forte praesentem spectantemque Vergilium venerātus est sic quasi Augustum. (Tac.) 17. Hāc orātiōne habitā mīrum in modum conversae, sunt omnium mentēs. (Caes.) 18. P. Valerius exāctis rēgibus primō annō cōsul fuit. 19. Rōmānī finitō bellō lānī templum claudēbant. 20. Xerxēs Thermopylīs expūgnātis urbem Athēnās incendiō dēlēvit. 21. Bellō cōfectō cōsul exercitum dīmisit. 22. Tūrbātō meliūs capiūntur flūmine pīscēs.

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Sõdurid võitlevad relvadega. 2. Hobused kaitsevad end jalgadega. 3. Ta näitas mõõgaga läbistatud (traicere) rinda. 4. Konsul tappis vaenlaste juhi oma käega. 5. Oma silmaga (pl.) nägin. 6. Noorukid (noorukite kehad) tugevnevad (firmāri) tööga. 7. Järgmisel päeval tulid saadikud. 8. Sel õöl oli täiskuu (tõlk. täiskuu). 9. Seda ma teostan sõbra kaasabil (abistades). 10. Mägi vallutatud, asub Caesar laagrisse (castra pōnere). 11. Alpid ületatud, tuli Hannibal Itaaliasse. 12. Signaal antud, valmistusid (sē praeparāre ad) kõik lahinguks. 13. Pärast seda kui gallid olid võidetud, ruttas Caesar Rooma. 14. Pärast tööde lõpetamist (abl. abs.) on puhkus (quiēs, f.) mõnus. 15. Priamuse valitsedes langes Trooja.

PĒNSUM QUADRĀGĒSIMUM QUĀRTUM.

Varia.

1. Artēs multae repertae sunt docente nātūrā. 2. Rosā flōrente gaudeō. 3. Duōbus litigantibus tertius gaudet. 4. Gallī nullō dēfendente in urbem Rōmam invāsērunt. 5. Clausae erant aurēs obstrepente irā. 6. Sōl dictus est, quia, cum est exortus, obscurātis omnibus sideribus sōlus appāret. (Cic.) 7. Lūna pernox erat et sublātis armāmentis veniēbant. (Liv.) 8. Quae potest esse vitae iūcunditās sublātis amicitiiis? (Cic.) 9. Gubernātor dēstrictō cōstitit ēnse. (Ovid.) 10. Silent arrectisque auribus adstant. (Verg.) 11. Capite dēmissō lēgātī Sequanōrum adstābant.

12. Nātūrā duce nunquam aberrābimus. 13. Bellum Gallicum C. Iūliō Caesare imperātore gestum est. 14. Quam bene Saturnō vivēbant rēge! (Tib.) 15. Orgetorīx Mārcō Messālā et Mārcō Pisōne cōsulibus coniūrātiōnem nobilitātis fēcit. 16. Catilīna prid. Kal. Ian. Lepidō et Tullō cōsulibus stetit in comitiō cum telō. (Cic.) 17. Hannibal hostis incolumi exercitū quārtum decimum annum Italiā obsidet. (Liv.) 18. Mithridātēs bella cum Rōmānis per sex et quadrāgintā annōs variā victōriā gessit. 19. Galba orātor māgnō in honōre pueris nobīs erat. (Cic.) 20. Tranquillō marī quilibet gubernātor esse potest.

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Sa kurvastāsīd (dolēre) sageli meie valu pärast. 2. Nad olid haiged haavade pärast. 3. Pōen (labōrāre *c. abl.*) rasket haigust. 4. Üksmeele tõttu kasvavad kõige väiksemad asjad. 5. Kreeklaste laevastik lähenes vaikselt (vaikusega). 6. Gallialased võitlesid oma kombe kohaselt palja (nūdus) päi. 7. Ema käsul (kāskides) kavatsen sulle usinamalt kirjutada. 8. Hannibali elu ajal (elus olles) olid roomlased alati hirmul. 9. Hannibali juhtimisel (juht olles) võitsid kartaagolased roomlasi paljudes lahingutes. 10. P. Cornelius Scipio ja Ti. Sempronius Longus'e konsuliteks olemise ajal (*abl. abs.*) viis (intulit) Hannibal sõja Itaaliasse.

PĒNSUM QUADRĀGĒSIMUM QUĪNTUM.

Varia.

1. Errāre hūmānum est. 2. Est quaedam flēre voluptās. (Ouid.)
3. Est ars difficilis rēte rem pūblicam regere. 4. Praestat ini-
iūriam accipere quam facere. 5. Iūcundius est amārī quam timērī.
6. Dulce et decōrum est prō patriā morī. 7. Bene ērudīri melius
est quam multās opēs habēre. 8. Vincere scīs, Hannibal, victōriā
ūtī nescīs. (Liv.) 9. Omnēs hominēs beāti esse cupiunt. 10. Vivere
est militāre.

11. Videō arborem flōrēre. 12. Audiō puerōs canere. 13. Sen-
tiō genua labāre, 14. Dicō tē hoc scīre (scīvisse, scītūrum esse).
15. Sciō hanc epistulam scribī (scriptam esse, scriptum Irī). 16. Dicō
tē priōre nocte vēnisse in M. Laecae domum. (Cic.) 17. Mortem
mē timuisse dīcis. (Cic.) 18. Thalēs ūnus ex septem ex aquā dixit
cōnstāre omnia. (Cic.) 19. Idem esse dīcēbat Sōcratēs vēritātem et
virtūtem. 20. Divitiācus Haedus Caesarī dixit Ariovistum, Germā-
nōrum rēgem, hominem esse barbarum, irācundum, temerārium.
(Caes.) 21. Ariovistus dixit sē prius in Galliam vēnisse quam pop-
ulum Rōmānum. 22. Catō dixit litterārum rādīcēs amārās esse,
frūctūs iūcundiōrēs. 23. Caesar militibus sē proximā nocte castra
mōfūrū esse dixit. 24. (Caesar) negat sē mōre et exemplō populi
Rōmāni posse iter ūlli per prōvinciam dare. (Caes.) 25. Veterēs
scriptōrēs narrant Homērum caecum fuisse. 26. Fortēs fortuna
adiuvāre aiebant. (Liv.) 27. Vergilium paucissimōs diē compo-
suisse versūs auctor est Varus. (Quint.)

Narjutus 1. Tõlkida ladina keelde:

1. On raske muuta oma loomust. 2. On auasi (laus) meeldida
tublidele. 3. Opetlasele on elamine (elada) mõtlemine. 4. Armas-
tada vanemaid on looduse esimene seadus. 5. Ma tean, et sa kirjutad
(facere) (kirjutasid, kirjutad tulevikus) värsse. 6. Anaxagoras
ütles, et lumi olevat must. 7. Ta ütleb, et ta seda ei (negāre) tea.
8. Rooma kirjanikud jutustavad, et orjad Rooma riigis olevat elan-
nud (agere) rasket (molestus) ja viletsat elu. 9. Homerus jutustab,
et Trooja sõjas olevat kreeklased ehitanud hiiglahobuse.

Harjutus 2. Moodustada infinitiivid:

a) regere, accipere, erudire, habere, vincere, scire, cupere, videre, sentire, dicere, movere, scribere, narrare.

b) mirari, fateri, uti, loqui, sequi, labi, pati, mori, progredi, partiri.

Acc. c. inf. post verba sentiendi, affectuum, voluntatis, impersonalia.

PENSUM QUADRAGESIMUM SEXTUM.

Varia.

1. Pompēiōs, celebrem Campāniae urbem, cōnsēdisse terrae mōtū audivimus. Nōnis Februāriis hīc fuit mōtus Rēgulō et Vergīniō cōsulibus. (Sen.)
2. Victōrem ā victō superārī saepe videmus.
3. Sentīmus pectora nostra novā spē implērī.
4. Iam intellegēs multō mē vigilāre ācrius ad salūtem quam tē ad perniciem rei pūblicaē. (Cic.)
5. Id arbitror in vitā esse ūtile: nē quid nimis. (Ter.)
6. Hīcetās Syrācūsīus caelum, sōlem, lūnam, stēllās, supera dēnique omnia stāre cēnsēt neque praeter terram rem ūllam in mundō movērī. (Cic.)
7. Insānus omnēs furere crēdit cēterōs.
8. Sōcratēs, Sciō, inquit, mē multa nescire; itaque multō sapientior sum quam hominēs, quī putant sē omnia scire.
9. Spērō multa vōs liberōsque vestrōs in rē pūblicā bona esse vīsūrōs. (Cic.)
10. Quem dēfendis, spērat sē absolūtum irī. (Cic.)
11. Gaudeō vēr appropinquāre.
12. Dux urbem captam esse mirātus est.
13. Māter et soror tibi salūtem mē iussērunt dicere. (Pl.)
14. Iubet nōs Apollo nōscere nōsmet ipsōs. (Cic.)
15. Rōmulus urbem cōstituit, quam ā suō nōmine Rōmam iussit nōminārī. (Cic.)
16. Lēx quaedam vetuit civem Rōmānum vincērī.
17. Ego vērō cupiō tē ad mē venīre, sed viam timeō. (Cic.)
18. Salvum tū mē esse cupisti. (Cic.)
19. Cōnstat experientiam docēre.
20. Appāret repetitiōnem esse mātrem studiōrum.
21. Piscēs natāre oportet. (Petron.)
22. Plūra dicere nōn opus est.

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Tean, et sul on (oli, on tulevikus) palavik.
2. Me teame, et vaenlased võidetakse (, on võidetud, võidetakse tulevikus).
3. Me näeme, et kevadel maa kattub (vestiri) lilledega ja taimedega.
4. Kuulsin, et sa oled pika kõne pidanud.
5. Tunnen, et olen haige.
6. Teame, et Hannibal võideti Scipio poolt.
7. Roomlased lootsid,

et gallialased võidetakse. 8. Sõdurid loodavad, et nad vallutavad vaenlaste linna. 9. Kas sa ei tea, et kuningatel on pikad käed? 10. Pärslased arvasid, et päike on jumal. 11. Vanad kirjanikud jutustavad (trädere), et Rooma olevat rajatud Romuluse poolt. 12. Caesar käskis sõduritel silla ehitada. 13. Sõbrad käsivad meil loota. 14. On teada, et roomlased hävitasid Kartaago. 15. On silmanähtav, et sa eksisid. 16. Caesar käskis sõdureid ehitada silla.

Acc. c. inf.

PĒNSUM QUADRĀGĒSIMUM SEPTIMUM.

Dē Nasīcā et Enniō.

Scīpiō Nasīca, cum ad poētam Ennium vēnisset eīque ab ōstiō quaerentī Ennium ancilla dixisset domī nōn esse, sēnsit illam domīni iussū dixisse et illum intus esse. Paucīs post diēbus, cum ad Nasīcam vēnisset Ennius et eum ad iānuam quaereret, exclāmat Nasīca sē domī nōn esse. Tum Ennius eī: Quid? ego nōn cōgnōscō vōcem tuam? Huic Nasīca: Homo es impudēns. Ego, cum tē quaererem, ancillae tuae crēdidī tē domī nōn esse, tū mihi nōn crēdis ipsī!

Dē Apelle.

Apellēs pictor ēgregius perfecta opera prōpōnēbat in pergulā transeuntibus atque post ipsam tabulam latēns, vitia, quae notābantur, auscultābat vulgus dīligentiōrem iūdicem quam sē cēnsēns. Trādunt ā sūtōre reprehēnsū esse vitium quoddam in crepidīs. Apellēs igitur ēmendāvit vitium. Posterō diē trānsibat idem sūtōr et superbus ēmendātiōne, cavillārī coepit circā crūs. Tum indignātus prōspexit pictor eīque dēnuntiāvit, nē suprā crepidam iūdicāret sūtōr. (Plin. Van.)

Nē sūtōr suprā crepidam (iūdicet)!

Nominativus cum infinitivo post verba dicendi, sentiendi, voluntatis.

PĒNSUM DUODĒQUĪNQUĀGĒSIMUM.

Varia.

1. Videō frātre[m] scribere — Frāter scribere vidētur. 2. Putō tē beātum esse — Vidēris beātus esse. 3. Dīceris noster amīcus esse. 4. Dīcimur Hannībālem vīcisse. 5. Amēns mihi fuisse videor ā

principiō. 6. Aegrōtō, dum anima est, spēs esse dīcitur. (Cic.) 7. Quī tacet, cōsentīre vidētur. 8. Beātus Epicūrus sibi vidētur esse moriēns. (Cic.) 9. Cōnsuētūdō et mōs vim lēgis videntur habēre. 10. Sōlem ē mundō tollere videntur, quī amicitiam ē vitā tollunt. (Cic.) 11. Lectitāvisse Platōnem studiōsē audīvisse etiam Dēmōsthenēs dīcitur. (Cic.) 12. Caesar appropinquāre dīcēbātur māgnusque terror incidit Pompei exercitū. (Caes.) 13. Pāce nōn modo eī, quibus nātūra sēnsū dedit, sed etiam tēcta atque agrī mihi laetārī videntur. (Cic.) 14. Fortis ac vehemēns orātor existimātur esse C. Gracchus. 15. Catilīna prohibitus erat cōsulātum petere. (Sall.) 16. Homērus temporibus Lycūrgī fuisse trāditur. 17. Atticus sic Graecē loquēbātur, ut Athēnis nātus esse vidērētur. (Nep.) 18. Hippocratēs clārus arte medicīnae vidētur honestissimē fēcisse, quod quōsdam errōrēs suōs, nē posterī errārent, cōfessus est. (Cic.) 19. Pŷthagorās, cum in geōmetriā quiddam novī invēnisset, Mūsis bovem immolāvisse dīcitur. (Cic.)

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Näen, et oled haige — Näib, et oled haige. 2. Näen, et olete haritud — Näib, et olete haritud. 3. Näen, et sõber loeb — Sõber näib lugevat. 4. Räägitakse, et vaenlased on võidetud. 5. Jutustatakse (trädere), et Caesar olevat taotlenud (cupidus *c. gen.*) kuningavõimu. 6. Näib, et võitja võidetakse võidetu poolt. 7. Räägitakse, et Homerus olevat olnud pime.

Consecutio temporum.

PĒNSUM UNDEQUĪNQUĀGĒSIMUM.

Varia.

1. Nescīs, quid vesper sērus vehat. 2. Multī nesciunt, quam vim scientia habeat. 3. Quid fēcērimus, nōn cōgitāmus. (Sen.) 4. Nōtum cst, quanta fuerit apud veterēs auctōritās senum. 5. Nescīre, quid ante nōs ēgerint hominēs, est in tenebrīs vivere. 6. Neque, quid agam, nec, quid actūrus sim, sciō. (Cic.) 7. Saepe nē ūtile quidem est scīre, quid futūrum sit. (Cic.) 8. Tempora rei pūblicae quālia futūra sint, quis scit? Mihi quidem turbulenta videntur fore. (Cic.) 9. Nesciō, permānsūrusne sīs in sententiā tuā. 10. Nunc, nec ubi nec quandō tē sim visūrus, possum suspicārī. (Cic.)

11. Anacharsis Scythā rogātus, quid esset in homine pessimum et quid optimum, rcspondit: Lingua. 12. Āgis rēx dīcēbat Lacedaemoniōs nōn interrogāre, quam multī, sed ubi essent hostēs.

(Plut.) 13. Thalēs rogātus, quid esset difficile: Sē ipsum, inquit, nōsse. Idem rogātus, quid esset facile: Alterum, inquit, admonēre. 14. Solōn, cum interrogārētur, cūr nullum supplicium cōstituisset in eum, quī parentem necāssset, respondit, sē id nēminem factūrum putāsse. 15. Ex iis litterīs, quās Atticus ā tē missās mihi lēgit, quid agerēs et ubi essēs, cōgnōvī; quandō autem tē vīsūrī essēmus, nihil sānē ex iisdem litterīs potuī suspicārī. (Cic.)

Harjutus. Tōlkida ladina keelde:

1. Ma küsin, mida sa loed (lugesid, tulevikus) loed). 2. Ma küsisin, mida sa loed (olid lügenud, kavatsed lugeda). 3. Ma küsin, mida sa tead, ma küsisin, mida sa tead. 4. Ta ei ütle, kus ta eile oli; ta ei öelnud, kus ta eile oli. 5. Ma ootan, millal sa seda taipad; ma ootasin, millal sa seda taipad. 6. On teadmata, millises kohas ootab sind surm. 7. Mõistus (ratiō) õpetab, mida tuleb teha, mille eest põgeneda. 8. Sa küsisid, mil viisil ma sind ravisin. 9. Jutustage, mida vanemad kirjutasid! 10. Spartalased ei küsinud, kui palju on vaenlasi, vaid, kus nad on. 11. Ma küsisin, mida kohtunik oli otsustanud.

Gerundium.

PĒNSUM QUĪNQUĀGĒSIMUM.

Varia.

1. Errāre hūmānum est. 2. In rēbus tam sevērīs nōn est iocandī locus. (Cic.) 3. Omnis hīc aetās piscandī, nāvigandī atque etiam natandī studiō tenētūr. (Plin.) 4. Sērūm est cavendī tempus in mediīs malīs. (Sen.) 5. Ācerrimus ex omnibus nostrīs sēnsibus est sēnsus videndī. (Cic.) 6. Occāsīō agendī et descendī nunquam dēest. 7. Modus vīvendī. 8. Ut medicīna valetūdinis, sic vīvendī ars est prūdētia. (Cic.) 9. Libertās est potestās faciendī id, quod iūre licet. 10. Beātē vīvendī cupiditatē incēnsī omnēs sumus. (Cic.) 11. Legendī semper occāsīō est, audiendī nōn semper. (Plin.) 12. Operam dēmus bene descendō! 13. Rēctē scribendō studeāmus! 14. Breve tempus aetātis satis longum est ad beātē honestēque vīvendū. (Cic.) 15. Nulla aetās ad descendū sēra est. 16. Appāret hominem ad cōgitandū et ad agendū nātūm esse. 17. Scribere scribendō, dicēndō dīcere dīscis. 18. Optimus est orātor, quī dīcendō animōs audientium et docet et dēlectat et permovet. 19. Castīgat rīdendō mōrēs. 20. Hominis mēns descendō alitur et cōgitandō. (Cic.) 21. Gūtta cavāt lapidēm nōn vī, sed saepe cadēndō.

22. Ūsus et experientia dominantur in artibus, neque est ūlla di-
sciplīna, in quā nōn peccandō discitur. 23. Lēgēs Lycūrgī labōribus
ēducābant iuventūtem: vēnandō, currendō, natandō, ēsuriendō, siti-
endō. 24. Summa voluptās ex discendō capitur. 25. Cernuntur
in agendō virtūtēs.

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Maalimine (maalida, pingere) on meeldiv — maalikunst on
raske. 2. Noorukid, praegu on õppimise aeg. 3. Arstiteadus on
ravikunst (cūrāre). 4. Mis on meeleheite (dēspērāre) põhjus? 5. Me
tuleme lugema, lugemiseks, lugemise põhjusel. 6. Olen valmis
andestama (andestamiseks, ad *c. acc.*). 7. Õpetades (õpetamisega)
õpitakse. 8. Ta räägib tõtt naerdes (naermisega). 9. Kiire tegut-
semisega võidetakse kõik. 10. Jooksmise ja ujumisega tugevda-
takse keha. 11. Kirjutamisega õpime usinamalt.

*Gerundivum. Coniugatio periphrastica
passivi.*

PĒNSUM QUĪNQUĀGĒSIMUM PRĪMUM.

Varia.

1. Facinus laudandum. 2. Iūstitia est virtūs laudanda. 3. Liber
legendus.

4. Caesar pontem in Rhēnō flūmine faciendum cūrāvit. (Caes.)
5. Dux militibus agrōs hostium dīripiendōs dedit. 6. Pater mihi
multa facienda reliquit. 7. Philippus Alexandrum filium Aristotelī
ēducandum trādidit.

8. Quod erat dēmōnstrandum (Q. E. D.). 9. Dē gustibus nōn
est disputandum. 10. Danda opēra est, ut inter amīcōs semper
concordia sit. 11. Iam nōn dē glōriā, sed dē salūte et, quod salūti
praepōnitis, dē libertāte pūgnandum est. 12. Ūf dēsīnt vīrēs, tamen
ēst laudānda volūntās. (Ovid.) 13. Ōrandum est, ut sit mēns sāna
in corpore sānō. (Iuv.) 14. Adhibenda est in iocandō moderātiō.
15. Apud Pŷthagoram discipulis quīnque annōs tacendum erat.
16. Cui ignōtum est illud Catōnis: Cēterum cēnsēō Carthāginem
dēlendā esse. 17. Iuvenī parandum, senī ūtendum est. (Sen.)
18. Diligentia in omnibus rēbus plūrimum valet; haec nōbīs prae-
cipuē colenda est, haec semper adhibenda. 19. Dēliberandum est
saepe, statuendum semel. 20. Nōn multī librī sunt legendī, sed
bonī. 21. Tuīs verbīs, Cicero, ūtendum est: Ō tempora, ō mōrēs!

(Sen.) 22. Sunt rēbus novīs nova pōnenda nōmina. (Cic.) 23. Sic vivendum est, tamquam in cōspectū vīvāmus. (Sen.) 24. Nihil sine ratiōne faciendum est. (Sen.) 25. Omnibus hominibus moriendum est. 26. Dum dēliberāmus, quāndō incipiendum sit, incipere iam sērum est.

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Kiiduväärsed kombed; spartalaste kombeid tuleb kiita. 2. Õppimisväärne kunst; kõnekunsti (kõnelemise kunsti) tuleb õpida. 3. Austamisväärne voorus; noorukitel tuleb austada voorusi. 4. Poistel tuleb harjutada mälu. 5. Sõduritel tuli anda (*perf.*) signaal. 6. Konsulil tuli pidada kõne senatis. 7. Ratsanikel tuli ehitada sild. 8. Kodanikel tuleb kaitsta vabadust. 9. Kõikidel rahvastel tuleb nõuda rahu. 10. Kõikidel inimestel tuleb töötada. 11. Vaneimatele tuleb avaldada suurt tänu. 12. Alati tuleb valvel olla. 13. Meil tuleb kodumaad armastada ja kaitsta.

Gerundiumi asendamine gerundiivig.

PĒNSUM QUĪNQUĀGĒSIMUM SECUNDUM.

Varja.

1. Cūra agrī colendī. 2. Tempus legendae historiae. 3. Quae causa iūstior est belli gerendi quam servitūtis dēpulsio. (Cic.) 4. Pelopidās patriae liberandae cōsiliū cēpit. 5. Cassius auctor erat Caesaris interficiendī. 6. Ars regendae rei pūblicae in Pericle māgna fuit. 7. Xerxēs Graeciae opprimendae causā ingentem exercitum comparāvit. 8. Militēs in spem hostium vincendōrum vēnērunt.

9. Trēs virī rei pūblicae cōstituendae. 10. Ti. Gracchus triumvir creātus est dividendis agrīs. 11. Comitia ēdicta sunt cōsulibus creandīs. 12. Castrīs oppūgnandīs diēs cōstitutus est.

13. Helvētiī ad pācem petendam lēgātōs misērunt. 14. Cyprus abundat māteriā ūtili ad nāvēs aedificandās. 15. Ad rēs ūtilēs cōgnōscendās nātūra nōs ipsa ōrnāvit.

16. Epistulā tuā legendā māgnopere dēlectābar. 17. Militēs prō patriā liberandā pūgnāvērunt. 18. Librī quīdam Cicerōnis sunt dē contemnendā morte, dē tolerandō dolōre, dē aegritūdine lēniendā. 19. Ab urbe (Neāpoli) oppūgnandā Hannibalem absterruērunt cōn-

specta moenia. 20. In amicis eligendis negligentēs nē simus! 21. Sōcratēs dicēbātur adiuvāre Euripidem in tragoediis scribendis. 22. Dēlectāmur carminibus Horātiī legendis. 23. Omnis ēloquendi ēlegantia augētur legendis orātōribus et poētis. 24. Mūtātis mūtandis. 25. Praemissis praemittendis.

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Harjutamiseks; mälu harjutamiseks. 2. Abistamisplaan; sõbra abistamisplaan. 3. Õppimishimu; ladina keele õppimise himu. 4. Muutmise põhjus; kommete muutuse põhjus. 5. Kserkses kogus kreeklaste alistamiseks hiiglasuure sõjaväe. 6. Linna kaitsmiseks ehitavad kodanikud müüre. 7. Me saame (capere) suurt kasu (fructus) muistsete kirjanike lugemisest (ex). 8. Linna piiramisel (obsidēre) sai juht haavata (vulnerāre).

Verba semideponentia.

PĒNSUM QUĪNQUĀGĒSIMUM TERTIUM.

Varia.

1. Sapere audē! (Hor. Ep. I, 2, 40) 2. Num negāre audēs? 3. Audentēs fortūna iuvāt decorātque corōnā. 4. Quis dicere audeat vērā omnia esse somnia? (Cic.) 5. Cūr es ausus mentirī mihi? (Pl.) 6. Epicūrus sē ūnus sapientem profiterī est ausus. (Cic.) 7. Audendō virtūs crēscit, tardandō timor. 8. Audendum atque agendum, nōn cōnsultandum in tantō periculō est. (Liv.)

9. Disce gaudēre. Mihi crēde, rēs sevērā est vērūm gaudium (Sen.) 10. Frūstrā sum igitur gavisus miser.

11. Nostrōrum hominum ingenia virtūtēsque soleō mirārī. (Cic.) 12. Solēs duābus sellis sedēre.

13. Fīde, sed, cui fidās, vidē! 14. Rēbus secundis nōlī cōnfidēre, in rēbus adversis servā cōstantiam! 15. Diffidāmus iis, qui mentirī solent.

16. Nescit vōx missa revertī. (Hor.) 17. Hōrae cēdunt et diēs et mēnsēs et annī nec praeteritum tempus unquam revertitur. (Cic.)

18. Victor ē Thessaliā Brundisium cum legiōnibus revertistī. (Cic.)

19. Philosophī nōbilissimī innumerābilēs, semel egressī, nunquam domum revertērunt. (Cic. Tusc. 5, 37, 107)

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Kes julgeb seda öelda? 2. Kaotuse puhul (võidetuina) Gallid hariilikult vaikivad, võidu puhul (võitjatena) laulavad. 3. Mõõ-

dunud tunnid ei tule tagasi (reverti). 4. Saadikud pöördusid Caesari juurde tagasi. 5. Ilmaaegu ma usaldasid sind. 6. Mõnedel inimestel on kombeks (solēre) ennast kiita. 7. Sa rõõmustad laulude üle.

Sum-composita, posse.

PENSUM QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

Varia.

1. Adsum. 2. Absit invidia verbō. (Liv. IX, 19, 15.) 3. Lacedaemoniī Themistoclem absentem accūsāvērunt. 4. Mē absente, militēs, impetum nē fēceritis! 5. Absentem amicum vituperāre peius est quam praesentem. 6. Status praesēns. 7. Hasdrubale mortuō Hannibal Poenīs praefuit. 8. Cōrrige praeteritūm, praesēns rege, cērne futūrum! 9. Multa petentibus dēsunt multa. (Hor.) 10. Sī rota dēfuerit, tū pede cārpe viām! 11. Cōnsulis vulnus nōn prohibēbat interesse conviviō. 12. Sine fidē amicitia nihil prōdest. 13. Patriae semper prōsit vīta vestra! 14. Plīnius dīcere solēbat nullum esse librum tam malum, ut nōn aliquā parte prōdesset. (Plin. Ep. 3, 5, 10.) In vērā amicitia māgnum inest praesidium. 16. Hominēs hominibus plūrimum prōdesse et obesse possunt. 17. Ultrā posse nēmō obligātur. 18. Prae dolōre loquī nōn possum. 19. Quantum potēs, adiuvā! (Cic.) 20. Nēmō omnia potest scīre. (Varro.) 21. Nōn omnia possumus omnēs. 22. Praeterita mūtāre nōn possumus. (Cic.) 23. Faciam, ut poterō. 24. Nēmō simul dominīs poterit sērvire duōbus. 25. Fēcī, quōd potuī; faciānt meliōra potētēs. 26. Fēlix, quī potuit rērūm cōgnōscere causās. (Verg.) 27. Utinam modo cōnāta efficere possim! (Cic.)

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Olgu eemal meist kadedus ja viha! 2. Viha ja põlgus toovad kahju teie õnnele. 3. Austusväärne ja meeldiv on olla kasulik sõpradele. 4. Aidake (adesse) sõpru! 5. Themistokles mõisteti tagaselja (eemal olles) süüdi. 6. Aita mind nõuga, kui võid! 7. Keegi ei suuda põgeneda (effugere *c. acc.*) surma eest. 8. Keegi ei või kohtunikuks olla oma tuliküsimuses. 9. Miski ei saa meeldivam olla vabadusest. 10. Ma räägin ladina keeli, kui suudan (tulevikus). 11. Tegin, mis suutsin. 12. Ütle, mida ma suudaksin teha!

PĒNSUM QUĪNQUĀGESIMUM QUĪNTUM.

Varia.

1. Nēmō potest persōnam diū ferre. (Sen.) 2. Ferre labōrem cōsuētūdō docet. 3. Fēr patiēnter onús, fác sapiēnter opús! 4. Obsecrō, populārēs, ferte miserō atque innocentī auxiliū! (Ter.) 5. Levius fertur, quod patienter fertur. 6. Pācem hūc fertis an arma? (Verg.) 7. Timeō Danaōs et dōna ferentēs. (Verg.) 8. Ferendum hoc onus est. (Pl.) 9. Quid quaeque nox aut diēs ferat, incertum est. 10. In silvā nōn līgna ferās insānius. (Hor. Sat. 1, 10, 34)

11. Utinam possim tibi referre grātiās! 12. Relāta referō. 13. Perfer et obdūrā: dolor hic tibi prōderit ōlim. (Ovid.) 14. Litterae tuae mihi somnū attulērunt. (Cic.) 15. Omnia tibi fortuna abstulit, sed spem reliquit. (Sen.) 16. Reus ab sē culpam in milites trānsferēbat. (Liv.) 17. In crāstinum differō rēs sevērās. (Nep.) 18. Plēbs autem ā populō eō differt, quod appellātiōne populī universi civēs significantur connumerātis patriciis et senātoribus; plēbis autem appellātiōne sine patriciis et senātoribus ceteri civēs significantur. (Iustin.) 19. Graécia cāpta ferū victōrem cēpit, et artēs intulit āgrestī Latiō. (Hor. Ep. 2, 1, 156). 20. Helvētiī impedimenta in ūnum locum contulērunt. 21. Militēs Rōmāni ad impedimenta et carrōs suōs sē contulērunt.

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Maa kannab mitmesuguseid vilju. 2. Sa kannad maski. 3. Talugem kannatlikult valusid! 4. Te kannate vapralt raskusi. 5. Mulle tuakse kiri. 6. Sa tänad (grātiās referre) vanemaid. 7. Caesar siirdus oma provintsi 58. a. 8. Ära lükka midagi järgmisele päevale!

velle, nolle, malle.

PĒNSUM QUĪNQUĀGESIMUM SEXTUM.

Varia.

1. Hoc volō, sic iubeō. Sit prō ratiōne voluntās! (Iuv.) 2. Modo hunc librum ēvolvere volō, modo illum. (Sen.) 3. Sī vis pācem, parā bellum! 4. Stultum facit fortuna, quem vult perdere. 5. Haurit aquam crībrō, quī discere vult sine librō. 6. Adulescēns vult diū

vīvere, senex diū vīxit. (Cic.) 7. Spērāmus, quae volumus, sed, quōd acciderit, ferāmus! (Cic.) 8. Puerī nōn ea volumus, quae volēmus senēs. 9. Sī vultis nihil timēre, cōgitāte omnia esse timenda. (Sen.) 10. Aút prōdesse volūnt aut dēlectāre poētae. 11. Sciō, quid velis. 12. Nisi Alexander essem, ego vērō vellem esse Diōgenēs. 13. Hōc dē librō velim scīre, quid sentiās. (Cic.) 14. Quōd sī dēficiānt virēs, audācia cērtē. / Laūs erit: in māgnis ét volūsse sat ést. (Prop.)

15. Nōlō esse laudātor, nē adūlātor esse videar. 16. Quod nōn vīs, nē fēcēris! 17. Nōlite ea in crāstinam diem differre, quae hodiē cōficere potestis! 18. Nōli equi dentēs inspīcere dōnāti! 19. Nōlēs, volēs. 20. Dūcunt volentem fāta, nōlentem trahunt. (Sen.) 21. Dux hostium aggredi nōluit, quod sibi equitēs dēessent. 22. Ūnum vereor, nē senātus Pompeium nōlit dīmītere.

23. Herī scrībere nōluistī, nunc scrībere māvis quam lūdere. 24. Quī tē meliōrem facere nōn vult, is tibi māvult nocēre quam prōdesse. 25. Etiam sī oppetenda mors esset, domī atque in patriā māllem morī quam in externīs atque aliēnīs locīs.

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Tahan teada, mida sa teed ja mida sa kavatsed teha. 2. Teen (tulevikus) nõnda nagu sa tahad. 3. Miks ei taha sa õppida ladina keelt? 4. Mida te niisiis eelistate? 5. Ütle, mida sa tahad! 6. Inimesed usuvad meeleldi seda, mida nad tahavad. 7. Ma ei taha, et sa lahkud. 8. Tahtjale pole miski raske.

ire et composita.

PĒNSUM QUĪNQŪAGĒSIMUM SEPTIMUM.

Varia.

1. Quantō satius est ire apertā viā et rēctā. 2. Quālis artifex pereō! (Suet.) 3. Īte alacrēs et spē plēnī! (Curt.) 4. Tū nē cēde malīs, sed cōtrā audēntior itō! (Verg.) 5. Sic itur ad astra. (Verg.) 6. Sic trānsit glōria mundī. 7. Dum Rōma dēlīberat, Saguntum perit. 8. Omnia mūtantur, nihil interit. (Ovid.) 9. Ē tenuī casā saepe vir māgnus exit. 10. Frequēns imitātiō trānsit in mōrēs. (Quint.) 11. Mediō tūtissimus ībis. (Ovid.) 12. Sī hostēs flūmen trānsierint, eōs aggrediēmur. 13. Ībam forte viā sacrā. (Hor.) 14. Nunquam redibit illud tempus, quod semel praeteriit. 15. Fac-

tum abiit, monumenta manent. (Ovid.) 16. Ego illum perisse dicō, cui periit pudor. 17. Autumnō abeunt hirundinēs, vēre ineunte redeunt. 18. Fāma crēscit eundō. 19. Eundum est, quō patria nōs ire iūbet. 20. Caesar, cum Idibus Mārtiis in pūblicum prōdīret, quod in cūriam ire voluit, amicum quendam, quī eum monuerat, ut Idūs cavēret, salutāvit exclāmāns: Idūs Mārtiae vērē-runt! Tum ille: Vērē-runt quidem, sed nōndum praeteriērunt. Paulō post Caesar ictibus conūrātōrum perfossus interiit. 21. Novō annō ineunte quae bona verba dicēmus? — Hic annus tibi faustus prō-cēdat! Vīve hunc annum sānus et incolumis!

Harjutus. Tõlkida ladina keelde:

1. Kuhu sa nüüd lähed? Ma lähen koju. 2. Kust sa tuled? Kodunt. 3. Kus sa olid? Kodus. 4. Ta läheb magama. 5. Minge laagrisse! 6. Miks te minu juurde tutite? 7. Pärast võitu gallide üle (*abl. abs.*) tuli Caesar tagasi Rooma. 8. Kevade tulekul (*redire, abl. abs.*) tulevad paljud linnud tagasi.

fieri, verba defectiva et impersonalia.

PĒNSUM DUODĒSEXĀGĒSIMUM.

Varia.

1. Nōlite id velle, quod fieri nōn potest. 2. Quod tibi fieri nōn vīs, alteri nē fēceris! 3. Brevis esse labōrō, obscurus fiō. (Hor.) 4. Dē nihilō fieri nīl posse vidēmus. (Lucr.) 5. Factum est illud; fieri infectum nōn potest. (Pl.) 6. Quantī quisque aliōs facit, tantī fit ab aliīs. 7. Fit via vī. 8. Poētae nascuntur, orātōrēs fiunt. 9. Urbēs cōstituit aetās, hōra dissolvit. Mōmentō fit cinis, diū silva. (Sen.) 10. Sed levius fit patientiā quidquid corrigere est nefās. (Hor.) 11. Hominēs, quod crēbrō vident, nōn mirantur, etiamsi, cūr fiat, nesciunt. 12. Nulla iniūria est, quae in volentem fiat.

13. Dīmidium facti, quī coepit, habet. (Hor.) 14. Undique in mūrūm lapidēs iaci coepti sunt. (Caes.) 15. Memini, etiam quae nōlō; obliviscī nōn possum, quae volō. (Cic.) 16. Meminisse dulce est, quae fuit dūrum pati. (Sen.) 17. Mementō mori! 18. Quī vitia odit, nōn hominēs odit. 19. Iubēs mē eōdem tempore et amāre et odiisse. (Sen.) 20. Odit populus Rōmānus privātam lūxuriam, pūblicam māgnificentiam diligit. (Cic.) 21. Ōdi et amō. Qua-

rē id faciām, fortāsse requīris. / Nēsciō, sēd fierī sentiō et éxcruciōr. (Čat.) 22. Aiunt hominēs plūs in aliēnō negōtiō vidēre quam in suō. (Sen.)

23. Est aliquid, quod nōn oportet, etiāmsi licet; quidquid vērō nōn liceť, certē nōn oportet. 24. Mē paenitet, quod znum tuum offēdi. 25. Nōne tē pudet tālia dixisse?

Harjutus. Tōlkida ladina keelde:

1. Kes (kes on, kes) ei vihkaks orjust. 2. Seda inimest ma vihkān (praegu ja tulevikus). 3. Mida ütled sina, nooruk? 4. Võib juhtuda, et ma eksin. 5. Ta saab kiiresti terveks. 6. Me kahetseme, et me sind ei aidanud. 7. Mul on häbi, et ma seda tegin. 8. Valitsegu (fierī) õiglus!

Oratio obliqua.

PĒNSUM UNDĒSEXĀGĒSIMUM.

Caesar, Dē bellō Gallicō, I, 13.

Ōrātiō obliqua.

Ōrātiō rēcta.

Is (Dīvicō) ita cum Caesare ēgit:

Sī pācem populus Rōmānus cum Helvētiīs faceret, in eam partem itūrōs atque ibi futūrōs Helvētiōs ubi eōs Caesar cōstituisset atque esse voluisset; sīn bellō persequī persevērāret, reminiscerētur et veteris incommodī populi Rōmāni et pristinae virtūtis Helvētiōrum. Quod imprōvisō ūnum pāgum adortus esset, cum iī, quī flūmen trānsissent, suis auxilium ferre nōn possent, nē ob eam rem aut suae māgnō opere virtūti tribueret aut ipsōs dēspiceret.

Sē ita ā patribus maiōribusque suis didicisse, ut magis virtūte contenderent quam dolō

Sī pācem populus Rōmānus nōbiscum faciet, in eam partem ībimus atque ibi erimus ubi tū nōs cōstitueris atque esse volueris; sīn bellō persequī persevērābis, reminiscere et veteris incommodī populi Rōmāni et pristinae virtūtis nostrae. Quod imprōvisō ūnum pāgum adortus es, cum iī, quī flūmen trānsierant, suis auxilium ferre nōn possent, nē ob eam rem aut tuae māgnō opere virtūti tribueris aut nōs dēspēxeris.

Ita ā patribus maiōribusque nostris didicimus, ut magis virtūte contenderēmus quam dolō aut īnsidiis nīterēmur.

aut insidiis niterentur. Quārē
nē committeret, ut is locus,
ubi cōstitissent, ex calami-
tāte populī Rōmānī et interneci-
ōne exercitūs nōmen caperet
aut memoriā prōderet.

Quārē nē commiseris (ehk:
nōlī committere), ut is locus, ubi
cōstitimus, ex calamitāte
populī Rōmānī et interneciōne
exercitūs nōmen capiat aut
memoriā prōdat.

Caesar, Dē bellō Gallicō, I, 44.

Ariovistus . . . respondit . . .

Sē prius in Galliam vēnisse
quam populum Rōmānum. Nun-
quam ante hoc tempus exercitum
populī Rōmānī Galliae prōvin-
ciae finibus ēgressum. Quid
sibi vellet? Cūr in suās pos-
sessiōnēs veniret? Prōvinciam
suam hanc esse Galliam, sicut
illam nostram.

Prius in Galliam vēnī quam
populus Rōmānus. Nunquam ante
hoc tempus exercitus populī Rō-
mānī Galliae prōvinciae finibus
egressus est. Quid tibi vīs?
Cūr in meās possessiōnēs ve-
nīs? Prōvincia mea haec est
Gallia, sicut illa vestra.

III.

VALIMIK ROOMA AUTOREID.

C. JULIUS CAESAR.

COMMENTARII DE BELLO GALLICO.

Liber I.

1 I. Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam
incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua
2 Celtae, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis,
legibus inter se differunt.

Gallos ab Aquitanis Garunna flumen, a Belgis Matrona
et Sequana dividit.

3 Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a
cultu atque humanitate provinciae longissime absunt, mini-
meque ad eos mercatores saepe commeant atque ea, quae ad
effeminandos animos pertinent, important, proximique sunt
Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter
4 bellum gerunt. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos
virtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis
contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in
eorum finibus bellum gerunt.

1 II. Apud Helvetios longe nobilissimus fuit et ditissimus
2. Orgetorix. Is M. Messala et M. Pisone consulibus regni
cupidine inductus coniurationem nobilitatis fecit et civitati
persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent: per-
facile esse, cum virtute omnibus praestarent, totius Galliae
3 imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, quod undique loci
5 natura Helvetii continentur. Pro multitudine autem hominum
et pro gloria belli atque fortitudinis angustos se fines habere
arbitrabantur, qui in longitudinem milia passuum CCXL, in
latitudinem CLXXX patebant.

1 III. His rebus adducti et auctoritate Orgetorigis permoti
constituerunt ea, quae ad proficiscendum pertinerent, compa-
rere, iumentorum et carrorum quam maximum numerum
coëmere, sementes quam maximas facere, ut in itinere copia
2 frumenti suppeteret, cum proximis civitatibus pacem et
amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biennium sibi
satis esse duxerunt: in tertium annum profectionem lege
confirmant.

3 Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. Is sibi legatio-
4 nem ad civitates suscepit. In eo itinere persuadet Castico,
Catamantaloedis filio, Sequano, cuius pater regnum in
Sequanis multos annos obtinuerat et a senatu populi Romani
amicus appellatus erat, ut regnum in civitate sua occuparet,
5 quod pater ante habuerat; itemque Dumnorigi Haeduo, fratri
Diviciaci, qui eo tempore principatum in civitate obtinebat ac
maxime plebi acceptus erat, et idem conaretur, persuadet eique
6 filiam suam in matrimonium dat. Perfacile factu esse illis
probat conata perficere, propterea quod ipse suae civitatis
7 imperium obtenturus esset: non esse dubium, quin totius
8 Galliae plurimum Helvetii possent; se suis copiis suoque
exercitu illis regna conciliaturum confirmat. Hac oratione
adducti inter se fidem et ius iurandum dant et regno occupato
per tres potentissimos ac firmissimos populos totius Galliae
sese potiri posse sperant.

1 IV. Ea res est Helvetiis per indicium enuntiata. Moribus
suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coëgerunt.
Damnatum poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur. Die
constituta causae dictionis Orgetorix ad iudicium omnem suam
familiam, ad hominum milia decem, undique coëgit et omnes
clientes obaeratosque suos, quorum magnum numerum habe-
bat, eodem conduxit; per eos, ne causam diceret, se eripuit.
3 Cum civitas ob eam rem incitata armis ius suum exsequi
conaretur multitudinemque hominum ex agris magistratus
4 cogerent, Orgetorix mortuus est; neque abest suspicio, ut
Helvetii arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciverit.

1 V. Post eius mortem nihilo minus Helvetii id, quod consti-
2 tuerant, facere conantur, ut e finibus suis exeant. Ubi iam se
ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, oppida sua omnia,
numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata
3 aedificia incendunt, frumentum omne, praeterquam quod secum

portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis spe sublata paratiores ad omnia pericula subeunda essent, trium mensium molita cibaria sibi quemque domo efferre iubent.

1 VI. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo
exire possent: unum per Sequanos, angustum et difficile, inter
montem Iuram et flumen Rhodanum, vix qua singuli carri
ducerentur, mons autem altissimus impendebat, ut facile per-
2 pauci prohibere possent; alterum per provinciam nostram,
multo facilius atque expeditius, propterea quod inter fines
Helvetiorum et Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhodanus
3 fluit, isque nonnullis locis vado transitur. Extremum oppidum
Allobrogum est proximumque Helvetiorum finibus Genava.
Ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. Allobrogibus sese
vel persuasuros, quod nondum bono animo in populum Roma-
num viderentur, existimabant, vel vi coacturos, ut per suos
4 fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem com-
paratis diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes
convenient. Is dies erat a. d. V Kal. Apr. L. Pisone A. Gabinio
consulibus.

1 VII. Caesari cum id nuntiatum esset, eos per provinciam
nostram iter facere conari, maturat ab urbe proficisci et quam
maximis potest itineribus in Galliam ulteriorem contendit et
2 ad Genavam pervenit. Provinciae toti quam maximum potest
militum numerum imperat (erat omnino in Gallia ulteriore
3 legio una), pontem, qui erat ad Genavam, iubet rescindi. Ubi
de eius adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum
mittunt nobilissimos civitatis, cuius legationis Nammeius et
Verucloetius principem locum obtinebant, qui dicerent sibi
esse in animo sine ullo maleficio iter per provinciam facere,
4 propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare, ut eius
voluntate id sibi facere liceat. Caesar, quod memoria tenebat
L. Cassium consulem occisum exercitumque eius ab Helvetiis
pulsum et sub iugum missum, concedendum non putabat;
5 neque homines inimico animo data facultate per provinciam
itineris faciendi temperaturos ab iniuria et maleficio existi-
6 mabat. Tamen, ut spatium intercedere posset, dum milites,
quos imperaverat, convenirent, legatis respondit diem se ad
deliberandum sumpturum: si quid vellent, ad Idus Apriles
reverterentur.

1 VIII. Interea ea legione, quam secum habebat, militibus-

que, qui ex provincia convenerant, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, milia passuum decem novem
2 murum in altitudinem pedum sedecim fossamque perducit. Eo opere perfecto praesidia disponit, castella communit, quo
3 facilius, si se invito transire conarentur, prohibere possit. Ubi ea dies, quam constituerat cum legatis, venit et legati ad eum reverterunt, negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare et, si vim facere conentur,
4 prohibitorium ostendit. Helvetii ea spe deiecti navibus iunctis ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnumquam interdum, saepius noctu, si perrumpere possent, conati, operis munitione et militum concursu et telis repulsi hoc conatu destiterunt.

1 IX. Relinquebatur una per Sequanos via, qua Sequanis
2 invitis propter angustias ire non poterant. His cum sua sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Haeduum
3 mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis impetrarent. Dumnorix gratia et largitione apud Sequanos plurimum poterat et Helvetiis erat amicus, quod ex ea civitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat, et cupiditate regni adductus novis rebus studebat et quam plurimas civitates suo beneficio habere obstrictas volebat. Itaque rem suscipit et a Sequanis impetrat,
4 ut per fines suos Helvetios ire patiantur, obsidesque uti inter sese dent, perficit: Sequani, ne itinere Helvetios prohibeant, Helvetii, ut sine maleficio et iniuria transeant. —

1 X. Caesari renuntiatur Helvetiis esse in animo per agrum Sequanorum et Haeduum iter in Santonum fines facere, qui non longe a Tolosatium finibus absunt, quae civitas est in
2 provincia. Id si fieret, intellegebat magno cum periculo provinciae futurum, ut homines bellicosos, populi Romani inimicos, locis patentibus maximeque frumentariis finitimos
3 haberet. Ob eas causas e munitioni, quam fecerat, T. Labienum legatum praefecit; ipse in Italiam magnis itineribus contendit duasque ibi legiones conscribit et tres, quae circum Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit et, qua proximum iter in
4 ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum his quinque legionibus ire contendit. Ibi Ceutrones et Graioceli et Caturiges locis superioribus occupatis itinere exercitum prohibere conantur. Compluribus his proeliis pulsus ab Ocelo, quod est citerioris

provinciae extremum, in fines Vocontiorum ulterioris provinciae die septimo pervenit; inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Segusiavos exercitum ducit. Hi sunt extra provinciam trans Rhodanum primi.

1 XI. Helvetii iam per angustias et fines Sequanorum suas
2 copias traduxerant, et in Haeduorum fines pervenerant eorum-
3 que agros populabantur. Haedui, cum se suaque ab iis
4 defendere non possent, legatos ad Caesarem mittunt rogatum
5 auxilium. Eodem tempore Ambarri, necessarii et consanguinei
6 Haeduorum, Caesarem certiore faciant sese depopulatis
7 agris non facile ab oppidis vim hostium prohibere. Item
8 Allobroges, qui trans Rhodanum vicis possessionesque habe-
9 bant, fuga se ad Caesarem recipiunt et demonstrant sibi prae-
10 ter agri solum nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus Cae-
11 sar non exspectandum sibi statuit, dum omnibus fortunis
12 sociorum consumptis in Santonos Helvetii pervenirent.

1 XII. Flumen est Arar, quod per fines Haeduorum et
2 Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut
3 oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit. Id Helvetii
4 ratibus, ac lintribus iunctis transibant. Ubi per exploratores
5 Caesar certior factus est tres iam partes copiarum Helvetios
6 id flumen traduxisse, quartam fere partem citra flumen Ararim
7 reliquam esse, de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris
8 profectus ad eam partem pervenit, quae nondum flumen
9 transierat. Eos impeditos et inopinantes aggressus magnam
10 partem eorum concidit; reliqui sese fugae mandarunt atque
11 in proximas silvas abdiderunt. Is pagus appellabatur Tiguri-
12 nus; nam omnis civitas Helvetia in quattuor pagos divisa est.
1 Hic pagus unus, cum domo exisset patrum nostrorum
2 memoria, L. Cassium consulem interfecerat et eius exercitum
3 sub iugum miserat. Ita sive casu sive consilio deorum immor-
4 talium, quae pars civitatis Helvetiae insignem calamitatem
5 populo Romano intulerat, ea princeps poenas persolvit. Qua
6 in re Caesar non solum publicas, sed etiam privatas iniurias
7 ultus est, quod eius soceri L. Pisonis avum, L. Pisonem lega-
8 tum, Tigurini eodem proelio, quo Cassium, interfecerant.

1 XIII. Hoc proelio facto reliquas copias Helvetiorum ut
2 consequi posset, pontem in Arare faciendum curat atque ita
3 exercitum traducit. Helvetii repentino eius adventu commoti,
4 cum id, quod ipsi diebus XX aegerrime confecerant, ut flumen

- transirent, illum uno die fecisse intellegerent, legatos ad eum mittunt; cuius legationis Divico princeps fuit, qui bello Casiano dux Helvetiorum fuerat. Is ita cum Caesare egit: Si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi eos Caesar constituisset atque esse voluisset; sin bello persequi perseveraret, reminisceretur et veteris incommodi populi Romani et pristinae virtutis Helvetiorum. Quod improvise unum pagum adortus esset, cum ii, qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suae magnopere virtuti tribueret aut ipsos despiceret. Se ita a patribus maioribusque suis didicisse, ut magis virtute contenderent, quam dolo aut insidiis niterentur. Quare ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi Romani et interneccione exercitus nomen caperet aut memoriam proderet.

P. OVIDIUS NASO

METAMORPHOSES

Prooemium.

In nova fert animus mutatas dicere formas
corpora. Di, coeptis (nam vos mutastis et illas)
aspirate meis primaque ab origine mundi
ad mea perpetuum deducite tempora carmen!

Quattuor aetates.

- Aurora prima sata est aetas, quae vindice nullo,
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant, nec verba minacia fixo
aere legebantur, nec supplex turba timebat
5 iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.
Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
montibus in liquidas pinus descenderat undas,
nullaque mortales praeter sua litora norant.
Nondum praecipites cingebant oppida fossae;
10 non tuba directi, non aeris cornua flexi,
non galeae, non ensis erant: sine militis usu
mollia securae peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis

- 15 saucia vomeribus per se dabat omnia tellus;
 contentique cibis, nullo cogente creatis,
 arbuteos fetus montanaque fraga legebant
 cornaque et in duris haerentia mora rubetis
 et, quae deciderant patulâ Iovis arbore, glandes.
 Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
 20 mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
 Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
 nec renovatus ager gravidis canebat aristis;
 flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
 flavaque de viridi stillabant ilice mella.
- 25 Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,
 sub Iove mundus erat, subiit a r g e n t e a proles,
 auro deterior, fulvo pretiosior aere.
 Iuppiter antiqui contraxit tempora veris
 perque hiemes aestusque et inaequales autumnos
 30 et breve ver spatium exegit quattuor annum.
 Tum primum siccis aër fervoribus ustus
 canduit, et ventis glacies astricta pependit.
 Tum primum subiere domus. Domus antra fuerunt
 et densi frutices et vinctae cortice virgae.
- 35 Semina tum primum longis Cerealia sulcis
 orbiata sunt, pressique iugo gemuere iuveni.
 Tertia post illam successit a e n e a proles,
 saevior ingenii et ad horrida promptior arma,
 non scelerata tamen. De duro est ultima f e r r o .
- 40 Protinus irrupit venae peioris in aevum
 omne nefas: fugere pudor verumque fidesque;
 in quorum subiere locum fraudesque dolique
 insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.
 Vela dabant ventis, nec adhuc bene noverat illos
 45 navita, quaeque diu steterant in montibus altis,
 fluctibus ignotis insultavere carinae.
 Communemque prius, ceu lumina solis et auras,
 cautus humum longo signavit limite mensor.
 Nec tantum segetes alimenta que debita dives
 50 poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae,
 quasque reconsiderat Stygiisque admoverat umbris,
 effodiuntur opes, irritamenta malorum.
 Iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum

- prodierat: prodit Bellum, quod pugnat utroque
 55 sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
 Vivitur ex raptō: non hospes ab hospite tutus,
 non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.
 Imminet exitio vir coniugis, illa mariti;
 lurida terribiles miscent aconita novercae;
 60 filius ante diem patrios inquirit in annos.
 Victa iacet pietas, et virgo caede madentes
 ultima caelestum terras Astraera reliquit.

(I, 89—150).

Pyramus et Thisbe.

Pyramus et Thisbe, iuvenum pulcherrimus alter,
 altera, quas oriens habuit, praelata puellis,
 contiguas tenere domos, ubi dicitur altam
 coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.

- 5 Notitiam primosque gradus vicinia fecit,
 tempore crevit amor; taedae quoque iure coissent,
 sed vetuere patres. Quod non potuere vetare,
 ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
 Conscius omnis abest; nutu signisque loquuntur;
 10 quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.

Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim,
 cum fieret, paries domui communis utriusque.
 Id vitium, nulli per saecula longa notatum,
 (quid non sentit amor?) primi vidistis, amantes,
 15 et vocis fecistis iter, tutaeque per illud
 murmure blanditiae minimo transire solebant.
 Saepe, ubi constiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc,
 inque vices fuerat captatus anhelitus oris,
 «Invide», dicebant, «paries, quid amantibus obstas?»
 20 Quantum erat, ut sineres toto nos corpore iungi,
 aut hoc si nimium, vel ad oscula danda pateres!
 Nec sumus ingrati: tibi nos debere fatemur,
 quod datus est verbis ad amicas transitus aures.»

- Talia diversa nequiquam sede locuti,
 25 sub noctem dixere vale partique dederunt
 oscula quisque suae, non pervenientia contra.

Postera nocturnos aurora removerat ignes,

solque pruinosas radiis siccaverat herbas:
ad solitum coiere locum. Tum murmure parvo
30 multa prius questi, statuunt, ut nocte silenti
fallere custodes foribusque excedere temptent,
cumque domo exierint, urbis quoque tecta relinquant,
neve sit errandum lato spatiantibus arvo,
convenient ad busta Nini lateantque sub umbra
35 arboris: arbor ibi, niveis uberrima pomis
ardua morus, erat, gelido contermina fonti.
Pacta placent, et lux, tarde discedere visa,
praecipitatur aquis, et aquis nox exit ab isdem.

Callida per tenebras versato cardine Thisbe
40 egreditur fallitque suos, adopertaque vultum
pervenit ad tumulum dictaque sub arbore sedit;
audacem faciebat amor. Venit ecce recenti
caede leaena boum spumantes oblita rictus,
depositura sitim vicini fontis in unda.

45 Quam procul ad lunae radios Babylonia Thisbe
vidit et obscurum trepido pede fugit in antrum,
dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.
Ut lea saeva sitim multa compescuit unda,
dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa
50 ore cruentato tenues laniavit amictus.

Serius egressus vestigia vidit, in alto
pulvere certa ferae totoque expalluit ore
Pyramus. Ut vero vestem quoque, sanguine tinctam,
repperit, «Una duos», inquit, «nox perdet amantes,
55 e quibus illa fuit longa dignissima vita.
Nostra nocens anima est: ego te, miseranda, peremi,
in loca plena metus qui iussi nocte venires,
nec prior huc veni. Nostrum divellite corpus
et scelerata fero consumite viscera morsu,
60 o quicumque sub hac habitatis rupe, leones!
Sed timidi est optare necem.» — Velamina Thisbes
tollit et ad pactae secum fert arboris umbram.
Utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti,
«Accipe nunc», inquit, «nostri quoque sanguinis haustus!»
65 Quoque erat accinctus, demisit in ilia ferrum,
nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit.
Ut iacuit resupinus humo, cruor emicat alte,

- non aliter, quam cum vitiato fistula plumbo
 scinditur et tenui stridente foramine longas
 70 eiaculatur aquas atque ictibus aera rumpit.
 Arborei fetus aspergine caedis in atram
 vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix
 purpureo tingit pendentia mora colore.
- Ecce, metu nondum posito, ne fallat amantem,
 75 illa redit-iuvenemque oculis animoque requirit,
 quantaque vitarit narrare pericula gestit.
 Utque locum et visa cognoscit in arbore formam,
 sic facit incertam pomi color: haeret, an haec sit.
 Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
 80 membra solum retroque pedem tulit oraque buxo
 pallidiora gerens exhorruit aequoris instar,
 quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.
 Sed postquam remorata suos cognovit amores,
 percutit indignos claro plangore lacertos
 85 et, laniata comas amplexaque corpus amatum,
 vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori
 miscuit et, gelidis in vultibus oscula figens,
 «Pyrame», clamavit, «quis te mihi casus ademit?
 Pyrame, responde: tua te carissima Thisbe
 90 nominat! Exaudi vultusque attolle iacentes!»
- Ad nomen Thisbes oculos, iam morte gravatos,
 Pyramus erexit, visaque recondidit illa.
 Quae postquam vestemque suam cognovit et ense
 vidit ebur vacuum, «Tua te manus», inquit, «amorque
 95 perdidit, infelix. Est et mihi fortis in unum
 hoc manus, est et amor: dabit hic in vulnera vires.
 Persequar extinctum letique miserrima dicar
 causa comesque tui; quique a me morte revelli
 heu sola poteras, poteris nec morte revelli.
- 100 Hoc tamen amborum verbis estote rogati,
 o multum miseri meus illiusque parentes,
 ut, quos certus amor, quos hora novissima iunxit,
 componi tumulo non invideatis eodem.
 At tu, quae ramis arbor miserabile corpus
 105 nunc tegis unius, mox es tectura duorum,
 signa tene caedis pullosque et luctibus aptos
 semper habe fetus, gemini monumenta cruoris.»

- Dixit et aptato pectus mucrone sub imum
incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.
110 Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes;
nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater;
quodque rogis superest, una requiescit in urna.

(IV, 54—166).

Daedalus.

- Daedalus interea, Creten longumque perosus
exsiliium tactusque loci natalis amore,
clausus erat pelago. «Terras licet», inquit, «et undas
obstruat, at caelum certe patet: ibimus illac.
5 Omnia possideat, non possidet aëra Minos.»
Dixit et ignotas animum dimittit in artes
naturamque novat. Nam ponit in ordine pennas,
ut clivo crevisse putes: sic rustica quondam
fistula disparibus paulatim surgit avenis.
10 Tum lino medias et ceris alligat imas
atque ita compositas parvo curvamine flectit,
ut veras imitetur aves. Puer Icarus una
stabat et, ignarus sua se tractare pericla,
ore renidenti modo, quas vaga moverat aura,
15 captabat plumas, flavam modo pollice ceram
mollibat lusuque suo mirabile patris
impediebat opus. Postquam manus ultima coeptis
imposita est, geminas opifex libravit in alas
ipse suum corpus motaque pependit in aura.
20 Instruit et natum «Medio» que «ut limite curras,
Icare», ait, «moneo, ne, si-demissior ibis,
unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat:
inter utrumque vola. Nec te spectare Booten
aut Helicen iubeo strictumque Orionis ense:
25 me duce carpe viam!» Pariter praecepta volandi
tradit et ignotas umeris accommodat alas.
Inter opus monitusque genae maduere seniles,
et patriae tremuere manus. Dedit oscula nato
non iterum repetenda suo pennisque levatus
30 ante volat comitique timet, velut ales, ab alto
quae teneram prolem produxit in aëra nido:

- hortaturque sequi damnosaque erudit artes
et movet ipse suas et nati respicit alas.
Hos aliquis, tremula dum captat harundine pisces,
35 aut pastor baculo stivave innixus arator
vidit et obstipuit, quique aethera carpere possent,
credidit esse deos. Et iam Iunonia laeya
parte Samos (fuerant Delosque Parosque relictæ),
dextra Lebinthus erat fecundaque melle Calymne;
40 cum puer audaci coepit gaudere volatu
deseruitque ducem caelique cupidine tractus
altius egit iter. Rapidi vicinia solis
mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
Tabuerant cerae: nudos quatit ille laceitos
45 remigioque carens non ullas percipit auras;
oraeque caerulea, patrium clamantia nomen,
excipiuntur aqua, quae nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec iam pater, «Icare!» dixit,
«Icare», dixit, «ubi es? qua te regione requiram?»
50 Icare!» dicebat: pennas aspexit in undis
devovitque suas artes corpusque sepulcro
condidit; et tellus a nomine dicta sepulti

(VII, 183—235)

FASTI

Kevad

- Dic, age: frigoribus quare novus incipit annus
Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent, tunc est nova temporis aetas,
Et nova de gravido palmitis gemma tumet;
5 Et modo formatis operitur frondibus arbor;
Prodit et in summum seminis herbasolum;
Et epidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit et in pratis luxuriatque pecus;
Tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo
10 Et luteum celsa sub trabe figit opus;
Tum patitur cultus ager et renovatur aratro:
Haec anni novitas iure vocanda fuit.

(I 149—160)

Arion.

- Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Saepe sequens agnam lupus est a voce retentus,
Saepe avidum fugiens restitit agna lupum;
- 5 Saepe canes leporesque umbra cubuere sub una,
et stetit in saxo proxima cerva leae;
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit, et accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia saepe tuis fertur, vocalis Arion,
- 10 Tamquam fraternis obstipuisse modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens puppim conscendit Arion
Atque ita quaesitas arte ferebat opes.
- 15 Forsitan, infelix, ventos undasque timebas:
At tibi nave tua tutius aequor erat.
Namque gubernator dstricto constitit ense
Ceteraque armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rige, navita, puppim:
- 20 Non haec sunt digitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus «Mortem non deprecor», inquit
«Sed liceat sumpta pauca referre lyra.»
Dant veniam ridentque moram. Capit ille coronam,
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos;
- 25 Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos,
Flebilibus numeris veluti canentia dura
Traiectus pinna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas;
- 30 Spargitur impulsa caerulea puppis aqua.
Inde, fide maius, tergo delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.
Ille sedens citharamque tenet pretiumque vehendi
Cantat et aequoreas carmine mulcet aquas.
- 35 Di pia facta vident: astris delphina recepit
Iuppiter et stellas iussit habere novem.

Ille mi par esse deo videtur.

Ille mi par esse deo videtur,
 Ille, si fas est, superare divos
 Qui sedens adversus identidem te
 Speetat et audit

- 5 Dulce ridentem, misero quod omnes
 Eripit sensus mihi: nam simul te,
 Lesbia, aspexi, nihil est super mi
 Vocis in ore,

- Lingua sed torpet, tenuis sub artus
 10 Flamma demanat, sonitu suopte
 Tintinant aures, gemina teguntur
 Lumina nocte.

- Otium, Catulle, tibi molestum est:
 Otio exultas nimiumque gestis,
 15 Otium et reges prius et beatas
 Perdidit urbes.

(51)

Lugete, o Veneres Cupidinesque.

- 1 Lugete, o Veneres Cupidinesque
 Et quantum hominum venustiorum.
 Passer mortuus est meae puellae,
 Passer, deliciae meae puellae,
 5 Quem plus illā oculis suis amabat:
 Nam mellitus erat suamque norat
 Ipsam tam bene, quam puella matrem,
 Nec sese a gremio illius movebat,
 Sed circumsiliens modo huc, modo illuc
 10 Ad solam dominam usque pipiabat
 Qui nunc it per iter tenebricosum
 Illuc, unde negant redire quemquam.
 At vobis male sit, malae tenebrae
 Orci, quae omnia bella devoratis:

- 15 Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! O miselle passer!
Tuā nunc operā meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli

(3)

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.

- Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
5 nobis cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
10 Dein, cum milia multa fecerimus,
conturbabimus illa, ne sciamus,
aut ne quis malus invidere possit,
cum tantum sciat esse basiorum.

(5)

Odi et amo.

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

(85)

Cenabis bene, mi Fabulle.

- Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
paucis, si tibi di favent, diebus,
si tecum attuleris bonam atque magnam
cenam non sine candida puella
5 et vino et sale et omnibus cachinnis.
Haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
cenabis bene: nam tui Catulli
plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipiens meros amores

- 10 seu quid suavius elegantiusve est:
nam unguentum dabo, quod meae puellae
donarunt Veneres Cupidinesque,
quod tu cum olfacies, deos rogabis,
totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

(13)

Verani, omnibus e meis amicis.

- Verani, omnibus e meis amicis
antistans mihi milibus trecentis,
venistine domum ad tuos penates
fratresque unanimos anumque matrem?
5 venisti. O mihi nuntii beati!
Visam te incolumem audiamque Hiberum
narrantem loca, facta, nationes,
ut mos est tuus, applicansque collum
iucundum os oculosque saviabor.
10 O quantum est hominum beatiorum,
quid me laetius est beatiusve?

(9)

Iam ver egelidos refert tepores.

- Iam ver egelidos refert tepores,
iam caeli furor aequinoctialis
iucundis Zephyri silescit auris.
Linquntur Phrygii, Catulle, campi
5 Nicaeaeque ager uber aestuosae:
ad claras Asiae volumus urbes.
Iam mens praetrepidans avet vagari,
iam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valet coetus,
10 longe quos simul a domo profectos
diversae variae viae reportant.

(46)

Multas per gentes et multa per aequora vectus.

Multas per gentes et multa per aequora vectus
Advenio has miseris, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis

- Et mutam nequiquam alloquerer cinerem,
5 Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
Tradita sunt tristi munere ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu
10 Atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

(101)

M. TULLIUS CICERO

In L. Sergium Catilinam Oratio I

- 1 I. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?
Quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? Quem ad finem
sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesi-
dium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus
bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi
senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua
consilia non sentis? constrictam iam horum omnium scientia
teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid
superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid
consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?
- 2 O tempora! O mores! Senatus haec intellegit, consul videt:
hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit
publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem
unumquemque nostrum. Nos autem, fortes viri, satis facere
rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitamus. Ad
mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat,
in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes iam diu
3 machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex
maximus, T. Gracchum, mediocriter labefactantem statum rei
publicae privatus interfecit: Catilinam, orbem terrae caede
atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?
Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala
Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit,
fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes
acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum
hostem coercerent. Habemus senatus consultum in te, Cati-
lina, vehemens et grave. Non deest rei publicae consilium

neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

4 II. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid res publica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus; occisus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa res publica: num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis et C. Servilium praetorem mors ac rei publicae poena remorata est? At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim eius modi senatus consultum, verum inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum, quo ex senatus consulto confestim te interfectum esse, Catilina, convenit. Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri; sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno.

5 Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus collocata: crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat.

Verum ego hoc, quod iam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficere, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur.

6 Quam diu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives, sed vives ita, ut nunc vivis, multis meis et firmis praesidiis oppressus, ne commovere te contra rem publicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III. Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios neque privata domus parietibus continere voces coniurationis tuae potest, si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem,

- mihī crede: obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris undique; luce sunt clariora nobis tua cōsilia omnia, quae
- 7 iam mecum licet recognoscas. Meministine me ante diem XII Kalendas Novembres dicere in senatu fore in armis certo die — qui dies futurus esset ante diem VI Kal. Novembres — C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox tamque incredibilis, verum — id quod multo magis est admirandum — dies? Dixi ego idem in senatu caedem te optimatium contulisse in ante diem V Kalendas Novembres, tum cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiri potes te illo ipso die, meis praesidiis, mea diligentia circumclusum commovere te contra rem publicam non potuisse, cum tu discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede te contentum esse dicebas? Quid? cum te
- 8 Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo iussu, meis praesidiis, custodiis, vigiliis esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod non ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam.

IV. Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem: iam intelleges multo me vigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios — non agam obscure — in M. Laecae domum; convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? Quid taces? Convincam, si negas. Video

9 enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt. O di immortales! ubinam gentium sumus? in qua urbe vivimus? quam rem publicam habemus? Hic, hic sunt, in nostro numero, patres conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro omnium interitu, qui de huius urbis atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent! Hos ego video consul et de re publica sententiam rogo et, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero! Fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina; distribuisti partes Italiae, statuisti, quo quemque proficisci placeret; delegisti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres; discripsisti urbis partes ad incendia; confirmasti te ipsum iam esse exiturum, dixisti paulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego

viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo
10 lecto interfecturos esse pollicerentur. Haec ego omnia, vixdum etiam coetu vestro dimisso, comperi; domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi; exclusi eos, quos tu ad me salutatum mane miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram.

10 V. Quae cum ita sint, Catilina, perge, quo coepisti. Egredere aliquando ex urbe; patent portae: proficiscere. Nimum diu te imperatorem tua illa Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, si minus, quam plurimos: purga urbem. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutius non potes:
12 non feram, non patiar, non sinam. Nunc iam aperte rem publicam universam petis, templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium ac vastitatem vocas. Quare, quoniam id, quod est primum et quod huius imperii disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum audeo, faciam id, quod est ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius. Nam si te interfici iussero, residebit in re publica reliqua coniuratorum manus. Sin tu, quod te iam dudum hortor, exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina rei publicae.

13 Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere, quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me, num in exilium? Non iubeo, sed, si me consulis, suadeo.

16 VII. Nunc vero quae tua est ista vita? Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paulo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid? quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt, quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simulatque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt,
17 quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercule mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives

tui, domum meam relinquendam putarem; tu tibi urbem non arbitraris? Et si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu civium quam infestis omnium oculis conspici mallet. Tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum et iam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes. Nunc te patria, quae communis est parens omnium nostrum, odit ac metuit et iam diu te nihil iudicat nisi de parricidio suo cogitare: huius tu neque auctoritatem verebere nec iudicium sequere nec vim pertimesces?

18

Quae tecum, Catilina, sic agit, et quodam modo tacita loquitur: «Nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad neglegendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli; nunc vero me totam esse in metu propter unum te, quicquid increpuit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quam ob rem discede atque hunc mihi timorem eripe; si est verus, ne opprimar, si falsus, ut tandem aliquando timere desinam.»

XI. Nunc ut a me, patres conscripti, quandam prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quae mihi vita multo est carior, si cuncta Italia, si omnis res publica sic loquatur: «M. Tulli, quid agis? Tunc eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patiere, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem

28

rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem te impedit? Mosne maiorum? At persaepe etiam privati in hac re publica perniciosos cives morte multarunt. An leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? At numquam

in hac urbe, qui a re publica defecerunt, civium iura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Praeclaram vero populo Romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiae aut alicuius periculi metum salutem civium tuorum
29 negligis. Sed si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? An, cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?»

XII. His ego sanctissimis rei publicae vocibus et eorum hominum, qui hoc idem sentiunt, mentibus pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu iudicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si summi viri et clarissimi cives Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt, certe verendum mihi non erat, ne quid hoc parricida civium interfecto invidiae mihi in posteritatem redundaret. Quodsi ea mihi maxime impenderet, tamen hoc
30 animo fui semper, ut invidiam virtute partam gloriam, non invidiam putarem. Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent, non videant, aut ea, quae vident, dissimulent; qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt, quorum auctoritatem secuti multi non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intellego, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto intellego hanc rei publicae pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quodsi se eiecerit secumque suos eduxerit et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit, exstinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta rei publicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium.

31 XIII. Etenim iam diu, patres conscripti, in his periculis coniurationis insidiisque versamur, sed nescio quo pacto

